

Q. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE, AC

13

DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,

PRINCIPE REGIO, ELECT. SAX. HEREDE,

ETC. ETC. ETC.

PARADOXA MORALIA,

PRAESIDE

M. I. O. ANDREA PLANERO,

ORD. PHIL. ADI. ET H. T. DECANO,

PUBLICE DEFENDET

GODOFREDVS VVVLFERVS,

PLAVIENSIS VARISCVS,

PHILOS. STVD.


IV KALENDAS IVLIAS,


ANNO CIO 10CCII,

EODEMQVE ALTERO ACADEMIAE IVBILAEO.

VITEMBERGAE,
FORMIS IO. MICH. GODERITSCHI.







PRAEFATIO.

Vamus prima fronte nihil uideatur
Philosophia morum facilius, tamen
paulum a carceribus progressus eos
incides in maeandros, unde haud fa-
cile egrediare. Quid enim, exempli
causa, doctrina de Principiis Morum difficilius re-
pertu? Quemadmodum in rebus aliis, difficultate
impeditis, ita et hic, quot capita, tot sensus. Neque
praesentis est instituti, nec parui uoluminis, excu-
tere ex instituto, quicquid uel in hoc, uel in alio ge-
nere, perplexitatum occurrat. Quapropter per-
pauca tantummodo de innumeris, eademque se-
lectissima, et quae nobis quidem intricatissima ui-
sa fuerint, decerpta admetiemur. Quandoqui-
dem uero nihil rerum humanarum sine DEI Nu-
mine recte suscipi, recte agi putamus, ipsius auxi-
lium ante omnia religiosissime inuocamus.

PARA-

PARADOXON.

I.

ACTIONEM ESSE CAVSAM
VIRTUTIS, ET VIRTUTEM
ACTIONIS.

Eadem fere uirtutum, quae morum principia. Idque eo ipso, quod hi illarum principia. Causam quippe causae constat causam effecti esse. Sed primum nobis uidendum de causis uirtutis. Causa prima Deus est, a quo omne bonum. Est autem Deus causa uirtutem non infundens, sed uirtutis comparandae uim concedens. Ad actiones concurrit, et, excitata facultate, atque ad actum mota, uirtutem ipsam largitur. Concurrit ergo intermedia, quam confert, uolenti potestate. Non tamen necessitate quadam concurrit: tolleretur enim libertas, atque adeo, non, quia homo uellet, sed, quia cogeretur, uirtutem acquireret: uerum libertate. Estenim Deus naturae conseruator, libertatemque seruat homini, et libere ad comparandum uirtutis habitum cum homine concurrit. Causa secunda diuisa est in principalem, et mintis principalem. Principalis rursus in mediatam, et immediatam. Illa, eademque remotior, uoluntas est, quae est appetitus animae rationalis, cognitionem intellectus sequens:

quens: haec actio humana. Voluntas enim uti est fundamen-
tum moris , sic uirtutis ipsius. Quemadmodum
ergo nulla actio moralis, neque elicta, neque imperata,
sine uoluntate est, sic neque uirtus moralis ulla. Virtus
non ex actibus naturalibus , neque ex inuitis, nascitur,
sed non , nisi ex moralibus. Tales autem non possunt
esse sine uoluntate. Etenim actiones morales sunt
actiones hominum saepe repetitae , a uoluntate libera
per rationem practicam directae , respicientes legem ,
et rectam rationem. Iam non ex aliis, praeterquam ex
eius generis actionibus, constat uirtus cognominis.
Porro, sicut gemina uoluntatis facultas est : Volunta-
rium, et Liberum: sic totuplex causa mediata uirtutis.
Illis quidem fundamentum moralitatis in actione mo-
rali innititur: hinc et in uirtute. Principia illa inadae-
quata si in actione deficiunt, actio non est moralis: hac
uero absente abest uirtus. Exempli causa, si quis inuite,
aut coacte, actiones liberalitatis exercet, actiones illae
non sunt morales: si hoc, non etiam sunt causae uirtutis.
Si autem aliquis eas frequentat sponte , et libenter ,
tunc causae erunt. Idcirco uel exinde patet, uelut sine
Voluntario, et Libero, nequeant actiones morales esse,
ita nec posse esse sine illis uirtutem. Negata quippe
causa negatur effectus. At enim, quid Voluntarium sit,
quid Liberum, que item munia, atque officia uolunta-
tis in Philosophia morum, erit inferius, nunc non est,
exponendi locus. Iam causa uirtutis mediata, eadem
que proxima , est electio. Est omnis electio medio-
rum: idcirco et uirtutis. Virtutem enim medium esse
constat, quo summum bonum comparatur. Est autem
electio actus uoluntatis internus, quo media, fini con-

sequendo idonea , efficaciter appetuntur. Ceterum , si-
guti uoluntas est causa immediata actionis moralis , ita
actio ipsa immediata uirtutis . Virtus nec infunditur ,
uelut supra monitum , nec innascitur , sed acquiritur.
Concursus Dei non sufficit , et testatur experientia , ab-
stinentes a propriis actionibus , ac exercitiis , uirtute ca-
rere . Non item uoluntas sufficit , cum sit potentia . Fru-
stra autem potentia est , quae non in actum traducitur .
Iam Deus nihil facit frustra . Quocirca , praeter Deum ,
atque uoluntatem , eiusdemque electionem , requiri-
ture et ipsa actio , a potentia profecta . Non tamen una
actio , sed saepius iterata . Tanquam enim omnis ha-
bitus , sic habitus uirtutis , crebris actionibus conciliatur .
Alii ita philosophantur : causam uirtutis remotissimam
esse morem , et consuetudinem . Quod quidem nos pro
falso ducimus . Nam consuetudo illa nihil est aliud , nisi
repetitio actuum : actus autem sunt causa proxima uir-
tutis . Praeterea honesta , id est , ad legis , et rectae ratio-
nis praescriptum exercita . Progrediamur hinc ad cau-
sas minus principes , quarum alia uniuersalis est , alia par-
ticularis . Vniuersalis causa est uis , atque influxus coe-
lestis . Astra , quemadmodum in inferiora omnia , ita in
voluntatem hominis influunt : non quidem directe , sed
tamen indirecte , puta , afficiendo corpus , et disponen-
do temperamentum . Causas inter particulares quae-
dam internae sunt , aliae externae : ex internis propin-
qua alia , alia remota est . Propinqua est facultas animae
humanae , eademque partim superior , partim inferior .
Illa est intellectus practicus : haec est potentia animae
sensitiva , et uegetativa . Ad sensitivam pertinet facultas
cognoscens , appetens , locomouens : ad uegetativam fa-
cul-

cultas nutrix, auctrix, procreatrix. De quibus omnibus
fusius non est differendi hic locus. Vnum addendum,
cum his potentissimis, earundemque facultatibus, uolunta-
tem concurrere, tanquam causam uniuersaliorem, ita,
ut ex potentia, quicum uoluntas concurrit, et ex ipsa
uoluntate, fiat una integra causa, a qua una eademque
numero actio proueniat. De causis particularibus re-
motis pariter dispiciendum. Harum una est *iuventus*, seu
bona corporis constitutio. Quamuis uirtus non sper-
nat corpora uilia, ac deformia, praesertim cum uitium
naturale saepius arte corrigatur, tamen et facilius do-
minus magnam, splendidamque, et libentius, magnus
hosipes ingreditur, quam tugurium, casamue. Possunt
etiam rerum honestarum scintillae, quas in corpore ele-
gantigerunt animi, facilius excitari, quam inferri. Be-
nigniore sane temperamento gaudens maiore prom-
ptitudine agere aptus natus est, quam illius expers.
Alia causa particularis remota est bona indeoles, et na-
turalis igniculus uirtutis, in animo latitans. Quo illud
pertinet Q. Horatii, Carminum L.IV, Od.IV.

Fortes creantur fortibus, et bonis:

Est in iuuenientibus, est in equis patrum

Virtus: nec imbellem feroce

Progenerant aquilae columbam.

Immo certum, et exploratum, non singulos modo ho-
mines ad certum genus uirtutis propendere, uerum in-
tegras etiam familias. Quotusquisque est, qui nesciat,
Augustae Domui Austriae propriam clementiae lau-
dem deberi? Quin etiam populos integros. Administri
Benhadad, Regis Syrorum: *Ecce, inquiunt, nunc audi-
imus, quod Reges domus Israelis misericordes sint.* Atque
ut uel

ut uel unum Germanicae nationis exemplum adiungamus, quis nescit, Germanos fortes, candidos, fidos? Perinde ut uitia integris familiis, pariter et gentibus, sunt propria. Germani feruntur amantes potus: Galli perfidi, et libidinosi: Hispani superbi, et pigri: ut taceamus nationes reliquas, de quarum genio, ingenioque, alii ex instituto scripserunt. Breuiter adhuc causae particulares externae attingendae. Inter has primo est hominum bene agentium exemplum; secundo angelus, uoluntatem hominis ad bonum uerum inclinans; tertio daemon, inclinans ad apparensem bonum; quarto praemium uirtutis, et poena uitii; quinto institutio, et educatio, quandoquidem, ut arbores infistione redduntur ingenuae, sic institutione animi hominum. At enimvero, postquam ex dictis constitit, actionem esse causam uirtutis, reliquum est, ut hoc ipsum inuertamus, uicissimque uirtutem causam actionis ponamus. Scendum hictum, quot modis actio considerari possit: tum, quae sit ratio summi boni. Actio moralis spectari potest, pariter ac debet, tam post, quam ante uirtutem. Illud si fit, est causa uirtutis; sin hoc, est uirtutis effectus, siue, quod eodem redit, uirtus est causa actionis. *Summum Bonum*, prout finit Aristoteles, est *functio animae rationalis*, secundum uirtutem optimam, et perfectissimam, in uita perfecta. L.I Eth. C. VII. Idest, est actio uirtutis, eiusdemque optimae, et perfectissimae. In summo enim, non in iro, est felicitas. Huius itaque actionis causa uirtus est. Virtus non modo ipsa ex actione enascitur, sed et actionem parit. Ex quo consequitur, actionem illam non esse ab habitu: hanc autem esse, adeoque habitualem dici posse. Beatitudinem cetero-

teroquin moralem esse actionem , sic demonstratur.
Felicitas moralis in operatione animi collocanda est.
Cum enim summo bono nihil sit melius, in meliore et
iam hominis parte ponendum. Atqui pars illa est ani
mus. Quicquid autem est in animo , illud aut est poten
tia, seu facultas ingenita ; aut habitus , seu consuetudine
parta, et diurnitate firmata facultas ; aut operatio , si
ue actus a naturali facultate elicitus. Sed duo priora
ad operationem , tanquam ad finem , referuntur : at u
ero felicitas est prorsus atque omnino propter sepe expe
tenda, nec tendit ad quicquam aliud. Proinde conclu
dimus ; Felicitatem in eximia aliqua animi operatione
esse constituantur. Quicquid enim non est propter
aliud, sed est ultimus terminus, ac finis, illud profecto est
optimum, atque adeo summum bonum. Quod cum uir
tute acquiratur, perspicuum tandem est, uirtutem esse
causam actionis, quippe in qua actione felicitas summa
consistit, quae nihil est aliud, quam actio , seu operatio
uirtutis. Ceterum operatio uirtuti assignatur, non qui
dem, tanquam principaliter operanti : est enim opera
tio principaliter suppositi, nempe hominis : attamen
tanquam medio , seu instrumento. Virtus instrumen
tum est uirtute praediti : at instrumenti, et principalio
ris agentis , eadem causa finalis , idemque effectus
datur,

PARADOXON

II.

VOLVNTATEM NON ESSE
LIBERAM.

Quatuor hic loci cumprimis praemonenda: primo, quid sit uoluntas; secundo, quae sint uoluntatis facultates; tertio, quotupliciter libertas datur; quarto, quotuplex uoluntatis sit libertas. Voluntas est appetitus animae rationalis, quo libere fertur in id, quod ratio bonum iudicavit, et auersatur id, quod illa, tanquam malum, apprehendit. Facultates uoluntatis sunt duae: Voluntarium, et Liberum. Voluntarium est principium in agente intrinsecum, unde procedit actio secundum singulas suas circumstantias. Requiruntur ergo duo ad uoluntarium: principium intrinsecum, et notitia singularum circumstantiarum. Primum itaque requiritur principium intrinsecum, hoc est, appetitus, a quo actio debet procedere. Hoc ipso uoluntarium distinguitur a Violento, siue ab Inuito per violentiam. Violentum enim est principium externum, et extra agentem, ita, ut is, qui agit, uel patitur, plane nihil ad actionem conferat. Deinde requiritur exacta circumstantiarum singularum notitia, hoc est, singularum eorum, quae actionem circumstant, eorum quidem, quae ad ipsam eius substantiam pertinent. Ab his enim actio substantialiter dependet. Voluntas enim non fertur, nisi in cognitum. Atque hoc nomine uo-

ne uoluntarium distinguitur ab Inuito per ignorantiam. Inuitum per ignorantiam est, quod est in agente, ignorantie singulas circumstantias, quae ad actus substantiam pertinent. Actio inuita, siue oritur ab Inuito per uoluntiam, seu ab Inuito per ignorantiam, neque honesta, ne turpis appellari potest. Non enim est uoluntaria, adeoque nec moralis. Actio enim moralis omnis est uoluntaria. Voluntas fundamen-
tum moris, causaque principalis. Sublata autem causa tollitur effectus. Amplius intelligitur, actionem inuitam non obligare, nec imputari posse, et neque prae-
mium, neque poenam promereri. Haec enim cuncta sunt actionis moralis effecta. Rursus: Sublata causa tol-
litur effectus. Siquid proinde mali ab Inuito profici-
scitur, uel condonandum erit ignorantiae, uel adscri-
bendum ei, qui cogit; minime autem agenti. Pertinet
huc exemplum Iacobi, Leae concubentis: pertinet
huc, si quis contra uoluntatem tuam utatur manu tua
ad percutiendum alterum; item, si qua uirgo honesta
ab impuro homine ui comprimatur. Obiter addimus,
uoluntarium esse duplex: proprium, et impro prium.
Proprium est, quod cognoscit circumstantias in actu si-
gnato, ita ut ratio discernat rationes singularum. Est
que idem illud uel perfectum, uel imperfectum. Illud
est in hominibus confirmati iudicii, quorum est nosse
singula, quae actum circumstant: hoc uero est in pue-
ris, et iis, quorum iudicium aetate, et usu nondum robo-
ratum est, qui que adeo destituuntur cognitione debita-
rum circumstantiarum. Voluntarium impro prium,
siue analogum, et per similitudinem, est principium in
agente, intrinsecum, unde actio procedit secundum ap-

petitum sensituum, et cognitionem sensualem. Dicitur alio nomine Spontaneum, daturque in brutis. Haec enim etiam agunt ex principio intrinseco, sed quod est appetitus sensitius, non rationalis : item secundum cognitionem, sed sensualem, non intellectualern. Datur quidem cognitio circumstantiarum, sed non exacta, adeoque nec datur uoluntarium proprium, nec actio moralis. Nam principium intrinsecum, et cognitio circumstantiarum, non sufficiunt. Esto exemplum. Canis, oblatam uidens offam, ab interno principio ad eam hauriendam impellitur. Eiusdem item liquoris nouit circumstantias, quod sit dulcis, sapidus, salubris: atque ita finem in actu exercito percipit, quatenus ipsum mouens cognoscit, puta bonitatem obiecti, qua mouetur ad offam appetendam. Idem habendum de pecore , pastum dueto. Ad Liberum accedimus, quod est facultas , qua agens uoluntarium , praesentibus, positisque omnibus ad agendum requisitis, potest agere, et non agere ; hoc, aut illud ; hoc, aut illo modo, tempore, et loco agere. Si mauis: est indifferencia ad utrumque oppositorum. Aut: est agendi indifferencia. Secundum nonnullos alios: est, quod propter principium intrinsecum, (id est, liberum arbitrium,) potest non esse. Quanquam haec descriptio potius effectum Liberi, puta, actionem liberam , quam ipsum Liberum, describit. Nam Liberum est proximum, et immediatum principium actionis humanae, sive uoluntariae, et liberae. Sine hoc principio actio hominis iterum, perinde ut sine uoluntario, non est moralis, adeoque nec bona, nec mala. Namque ad omnem actionem moralem necessarium est, ut sit uoluntaria, aequa ac libera. Et uoluntas ipsa nil est aliud, quam potentia in agen.

agendo libera. Iam, quot modis Libertas dicatur, quae-
ritur. Trifariam potissimum dicitur. Primo enim Li-
bertas datur, quae appellatur Libertas a subiectio-
ne, a iure, ab obligatione. Est autem Libertas ea, qua
quis legibus est solutus. Haec ne quidem datur in ange-
lis sanctis, nemum in homine. Secus homo non tenere-
tur legibus. Absurdum dictu! Deinde Libertas datur
a coactione. Libertas a coactione est, qua aliquid
a ui, et principio externo non cogitur. Siue: qua aliquid
ratione principii externi, a quo non cogitur, libere agit.
Siue: qua aliquid sine ui, et coactione agit. Patetque
Libertas illa amplissime. Nam in Deum, Angelos, ho-
mines cadit. Hi enim omnes sponte, ac libere agunt.
Quin etiam bruta in eius partem Libertatis ueniunt.
Haec ipsa dici possunt agere libere, quoties per inclina-
tionem naturalem aliquid agunt. Sed coactio non, ni i
entibus dependentibus, iisdemque non minus natura-
libus, quam liberis competit, quotiescumque in actioni-
bus suis impediuntur. Coactio ceteroquin sumitur uel
negatiue, uel positiue. Negatiue, pro impedimento e-
ius, ad quod aliquid secundum naturam suam proclive
est, i. e. pro impeditione actus. Ut si lapidi descensuro
columna, aut aliud quidpiam, supponatur. Positiue,
pro impulsione ad acrum, inclinationi naturali contra-
rium. Exempli gratia, si lapis sursum eleuetur, siue ad
adscensum, naturae suae contrarium, impellatur. Simili-
ter homo cogitur negatiue, si, obstructo ore, loqui ne-
queat: positiue, si agatur in crucem. Denique Liber-
tas datur a necessitate, qua aliquid propter principium
internum libere agit. Quae quidem necessitas duplex
est: Contrarietas, et Contradictionis. Libertas Con-

trarietatis est indifferentia ad utrumque oppositorum ;
seu : est Libertas ad agendum hoc , uel illud ; hoc , uel a-
lio modo ; hoc , uel alio loco , tempore . Dicitur item Li-
bertas Specificationis , quia non est determinata ad u-
num obiectum , acrum , modum , tempus , locum ; sed uer-
satur circa plura obiecta , speciesque plures actuum ,
modorum , locorum , temporum . Ex , causa , Libertas
Specificationis est , qua aliquis uersari potest circa stu-
dium Theologiae , Iurisprudentiae , et Medicinae ; quae
sunt obiecta specie diuersa . Libertas Specificationis est ,
qua potes unum , eundemque hominem amare , et o-
diisse : qui duo sunt actus diuersi unius eiusdemque ob-
iecti . Consimiles actus erant : amare Dauidem , eidem
despondere filiam , eiusdem illius caudem moliri , in
Saule , rege Israelitarum . Libertas Specificationis est ,
qua aliquis potest circa unum , idemque obiectum ,
actumne , bene , uel male , hoc , aut illo loco , et tempore
uersari . Rem uniuersam uno exemplo comprehenda-
mus . Est in potestate hominis de hoc , aut alio argu-
mento uerba facere : deinde de una , eademque re , aut
homine , bene , uel male loqui : porro de una , eademque
materia , aut cum uno , eodemque homine , loqui in hoc ,
aut alio spatio : denique hoc , aut alio temporis momen-
to . Ceterum nomine oppositorum non tantum opposi-
ta pugnantia , sed etiam disparata , seu opposita sine pu-
gna , intelligi oportet , sicuti id ex exemplis , modo addu-
ctis , patere potuit . Itaque obiecta huius Libertatis
non tantum sunt bonum , et malum , contraria obiecta ,
quorum utrumque homo potest aut prosequi , aut fu-
gere ; sed etiam hoc , et illud bonum , hoc , et illud ma-
lum : non modo uirtus , et uitium ; uerum etiam haec ,
aut

aut illa uirtus; hoc, aut illud uitium. **Libertas Contra-**
dictionis est indifferentia ad agendum, et non agen-
dum; siue: ad actum exercendum, et non exercen-
dum. Hinc etiam alio nomine **Libertas exercitii** dici-
tur. Quippe circa ipsum actus exercitium occupatur.
Verbo: est, cum, obiecto uno proposito, uoluntas potest
uelle, et non uelle; agere, et non agere; amare, et non
amare; eligere, et non eligere. Est, ubi uoluntas est
determinata ad unum specie obiectum; item ad unum
actum, modum, tempus, locum. Exempli causa, **Liber-**
tas Contradictionis, est, qua uoluntas uersatur circa
bellum. Adeſt hic unicum obiectum, ad quod uo-
luntas determinata est. Adeſt etiam unus actus. Sunt
quidem duo, sed contradictorii. Quapropter uoluntas
circa bellum Libertate contradictionis uersatur. Sunt
autem actus illi: bellum appetere, et non appetere. Ad-
eſt amplius unus modus. Poteſt res bene, et non bene
geri, bellum feliciter, et inauspicio finiri. Adeſt porro
unum tempus. Poteſt hoc anno geri, aut com-
poni, et non. Ad ultimum unus locus. Poteſt in
hac regione geri, aut in alia; in hac urbe, et non in hac
urbe sopliri. Haec, et similia omnia, sunt contradictoria,
et supponunt primum principium: *Impossibile est idem si-
mule esse, et non esse.* His nunc iam praemonitis, quae ini-
tio dixeramus praemonenda esse, ad causae ipsius acro-
polin proferimus pedem. Videndum itaque nobis,
cur, quaque ratione, uoluntas non sit libera. Non est li-
bera, nec dici potest, primo Libertate ab obligatione.
Haec **Libertas** non cadit in uoluntatem, in eam quideim,
quae dependens est, et lege tenetur. Solius Dei immor-
talis haec est **Libertas**. **Contra homo** neque est a lege,
neque item propterea a culpa, ac poena, liber. Secundo
uolun-

uoluntas non est libera a coactione. Falsum est, uulgo
quod dici solet, uoluntatem non posse cogi. Cogitur sa-
ne saepius. Cogitur autem cum qua actus imperatos,
tum etiam quod uulgas tamen inficiatur, qua actus eli-
citos. Cogiturque, qua actus imperatos, et positive, et
negatiue. Coactio negatiua est, quae prohibet aliquem
uoluntatis actum: positiva, quae actum illi aliquem ob-
trudit. Iam uoluntas in actibus imperatis cogi potest ut-
trouis modo. Negatiue, quando contra internum impe-
tum, per externum agens, ab actu aliquo prohibetur.
Potest enim facultas inferior contra uoluntatem homini-
nis detineri, aut impediri ab externa causa, ne opere-
tur, ut si manum alterius, iamiam in te inuolaturam,
cohibeas, ne percutiat. Positve, si ab externo agente
obtrudatur ipsi aliquis actus, ut si, manu alterius re-
nitentis uolenter arrepta, ferias aliquem. Pos-
sunt enim membra, in quibus est facultas inferior,
et in quae deriuari potest motus ab imperio uoluntatis,
recipere aliquem motum ab agente externo, contra im-
petum internum uoluntatis. Ergo quanquam uolun-
tas, ratione principii externi, non est libera, tamen ratio-
ne sui est libera. Verbo: membrum corporis, uolunta-
te nolente, potest cogi, ad intermittendum motum
suum, aut ad recipiendum motum alienum, ab agente
externo. Cogitur uero etiam uoluntas qua actus elici-
tos: cum tamen ita cogitur, cogitur simul qua actus im-
peratos. Ceterum non semper, ubi qua imperatos co-
gitur, cogitur pariter qua elicitos. Potest actus impera-
tus esse coactus, ut internus animi motus cogi non pos-
sit. Necenim aliquis cogi potest, ut uelit aliquid inui-
tus. Sic enim uellet, quod non uellet: uellet quicquam,
aeque

aeque ac non uellet. Attamen, uice conuersa, quando uoluntas secundum actus elicitos cogitur, cogitur simul quoad imperatos. Nam minus probabile est, cogi actus elicitos, quam imperatos. Posita autem coactione actuum elicitorum, tanquam eo, quod est minus ueri simile, consequitur, multo magis cogi posse actus imperatos, quippe quod est magis probabile. Quomodo uero accidat, ut eliciti actus cogantur, paulo enucleatus explicandum. Vulgus quidem reclamat, negatque, actum ullum elicitem cogi posse, neque positivie, neque negativie. Non positivie, quoniam omnis actus uoluntatis elicitus eliciatur ab ipsa uoluntate, adeoque non cogatur uiolente a principio externo. Ac de natura li quidem coactione positiva, seu ea, quae fiat uia naturae, nemo, opinamur, dubitat: ceterum, an non uoluntas cogi possit supernaturaliter a Deo, ac per potentiam absolutam, in eo DD. Scholastici, quanquam insulfe, ac praeter rem, disputant. Non etiam negativie, propterea quia nullum agens externum naturale impedire possit uoluntatem, quo minus actum suum exerceat. Dum agens naturale diximus, iterum Scholasticos quosdam Doctores notamus, qui uoluntatem a principio supernaturali, puta, Deo, concursum suum subtrahente, cogi posse dictitant: rursus, ut arbitramur, inepte. Vtique enim modo Deus naturam rerum mutaret, et Libertatem uoluntati prorsus subtraheret: id quod est contra naturam uoluntatis, quae dicitur esse essentialiter libera. Quod si Libertas a uoluntate reilater separari posset, uoluntas ne quidem uoluntas esset, perinde ut homo sine ratione non potest esse homo. Sed ad rem reuertimur, exposituri, quia tamen accidat,

C

ut uo-



ut uoluntas, qua actus elicitos, nihilominus possit cogi.
Distingue hic actiones coactas, uoluntarias, et medias,
seu mixtas. Quarum ultimae quidem sunt eae, quas
edit aliquis nolens uolens, et aegre, molesteque. Exem-
pli causa, si quis digitum porrigat, chirurgo refecan-
dum: si quis numeret pecuniam latronibus, ne ab iis
occidatur. Cuiusmodi actiones tamenetsi difficulter
fiant, et cunctanter, tamen sunt magis uoluntariae,
quam coactae. Namque animus resistens, et alternis
motibus fluctuans, tandem ultro propendit in illam
partem, quam meliorem putat. Adeo hinc igitur actus
non modo imperatus, sed etiam elicitus: ceterum uter-
que inuitus. Vterque uim patitur, et prius qui-
dem elicitus. Quod si iam ille uim admittit, quanto
magis imperatus? Atque ille sane uim sustinet, saltem
difficulter. Arque hinc lumen mutuatur illa I Ctorum
regula: *Coacta uoluntas est etiam uoluntas.* Ceterum hoc
etiam pertinet, cum Philosophi distingunt inter coa-
ctionem simpliciter, seu absolute, et secundum quid ta-
lem. Dicunt adeo, coactione simpliciter dicta uolun-
tatem cogi non posse: attamen tali secundum quid.
Atque id quidem euenire in actionibus mixtis, iisdem
que siue imperatis, siue elicitis. Illasque porro cogi
posse cum positive, ut si latroni des pecuniam; tum ne-
gatiue, ut si te patiaris potius capi ab hoste, quam inter-
fici. Iam actiones elicitas esse, e.g. uelle, et eligere da-
mnnum pecuniae, aut Libertatis. Has uero actiones
aliquo modo violentas esse, probatur ex eo, quod, licet
tale damnum appetatur, tanquam remedium mortis,
tamen simul illi damno propensio uoluntatis repu-
gnet, tanquam rei per se malae. Res tandem hoc re-
dit.

dit. Qui patrat quidpiam uoluntate coacta ,is illu d'uult
reuera. Vtut enim principium adit externum ,con-
currat tamen pariter internum. Ceterum uoluntas uult
non absolute, ac simpliter, uerum tantummodo secun-
dum quid. Alii distinguunt cogi in proprie, et impro-
prie acceptum : quae res eodem recidit. Cogi proprie-
dici aiunt illud, quod aliquid agat, aut patiatur, iuxta im-
petum uiolentiae externae , quam renitendo superare
nequeat. Talem coactionē cadere ex. causa in manum,
ab homine robustiore uel compressā , uel agitata. Contra autem coactionem talem non cadere in uolun-
tam uere liberam : eiusque rei argumento esse , quod
e.g. multi ne grauissimis quidem tormentis eo adigipot-
uerint, ut uellent arcana patefacere , uel religionem e-
iurare. Denique alii ipsum uiolentum distinguunt, et
quidem in simpliciter , et secundum quid tale. Est au-
tem uiolentum simpliciter, seu absolute tale, cuius prin-
cipium est externum, ita quidem, ut , qui cogitur, nil ad
ad actionem conferat, sed ea potius propensioni ipsius
aduersetur: ut si quis in carcerem , aut ad supplicium, ui-
rapiatur. Violentum secundum quid est, quando illud,
quod patitur, nonnihil ad actionem confert. Exem-
pli causa, si latronibus repraefentes pecuniam, non hoe
uiolentum, coactumue est simpliciter , uerum secun-
dum quid. Quanquam enim principium huius actio-
nis externum est, eo quod latro, minitando mortem, ad
id faciendum te adigat, tamen accedit insuper princi-
pium internum. Eius autem, quod absolute uiolentum
est, principium integrum debet externum esse, hoc est,
sic externum, ut non interueniat simul principium in-
ternum. Quod si enim hoc accedit, iam illud, quod uim

patitur, aliquid confert. In eo quippe, qui latronum im-
manitate se liberare cupit, uirtus est, qua mouetur ma-
nus ad exhibendam ipsis pecuniam. Intuitu igitur hu-
ius uirtutis actio, latronibus numos offerens, uiolenta
haud est: est tamen alio modo simul uiolenta, quatenus
scilicet contra uoluntatem suam, suamque animi pro-
pensionem, quispiam id facit, nunquam facturus, nisi
uis externa, periculumque mortis, praesto esset. Verbo:
actio ea est uiolenta non absolute, sed secundum quid.
Demum coactionem actuam elicitorum hoc argumen-
to, ex regulis acutissimi Danielis Stalii petito, propu-
gnamus.

*Quicquid repugnat propensioni alicuius, id aliquo
modo uiolentum est.*

*Sed aliqui actus elicit i uoluntatis repugnant
eius propensioni.*

Ergo i sunt aliquo modo uiolenti.

Assumptio sibi constat. Velle enim, et eligere, sunt actus
utique uoluntatis eliciti. Atqui in exemplis, modo ad-
ductis, non solum iacturam pecuniae facit quispiam, et
hostium potestati se dedit, sed utrumque etiam uult, et
eligit, praemorte, alioquin oppetenda: atque ita quidem
uult, ac eligit utrumque, ut id simul aduersetur inclina-
tioni uoluntatis sua. Vbi illud etiamnum sciendum,
quod remedium uitae, exempli causa captiuitas, aut pe-
cuniae iactura, quam uult, et eligit aliquis, propter ma-
lum maius effugiendum, bifariam spectari possit: pri-
mo, ut est utilis ad euitandam mortem, malumue aliud
maius: deinde, ut in se est malum, molestumque. Pri-
ore modo appetitur: posteriore autem displicet, eius-
demque electio inclinationi uoluntatis repugnat. Pau-
ca ad-

ca adhuc monenda restant de eo, numnamne uoluntas
pariter non sit libera libertate a necessitate. Non de-
sunt, qui et hoc ipsum affirment, uerum tantummodo
in actionibus imperatis. Saepe enim uoluntas non pot-
est non agere beneficio potentiarum subiectarum. Sae-
pe etiam cogitur, impedimento extrinseco, seu ui ex-
trinsecus allata. Praeterea toties agit necessario, quo-
ties se se ad agendum determinat, et quasi restringit.
Hac quippe determinatione uoluntas limitatur, ipsius-
que Libertati limes, terminusque ponitur. Praefidium
est in hoc fundamento: *Omnis id, quod est, quando est, neces-
se est esse.* Ergo et uoluntas, dum agit, posita hac hypo-
thesi, quod agat, necesse est, ut agat. Praecipue hic est
controversia de actionibus elicitis, quas, quod quidem
nos sciamus, omnes negant, non esse liberas a necessita-
te. Sed enim uero, praeterquam quod uoluntas, in
actu constituta, eo ipso, quod extrinsece necessario o-
peratur, etiam necessario actiones elicitas, a quibus ex-
ternae uix se iungunt queunt, exerceat, patet praeterea
contrarium ex cognitione uoluntatis saepe impedita.
Saepe enim illa per profundiorem somnum, aut apo-
plexiam, inhibetur. At enim uero uoluntas, quae qui-
dem constans est Philosophorum opinio, non fertur, ni-
fi in obiectum cognitum. Summatim ut dicamus, utrae-
que uoluntatis actiones, elicite, perinde ac imperatae,
sive coniunctae utraeque sint, sive solae adsint elicite,
semper, et in perpetuum, dum eduntur, et exercentur,
non possunt non fieri, id est, fiunt necessario. Ergo
uoluntas eas illo modo edit necessario, et non libere, eo-
que pacto adeo uoluntas non est libera. Vnum addi-
mus; uoluntatem ratione obiecti generalis non esse

C 3 libe-

liberam. Necessario fertur in bonum generale, licet non in particolare. Circa hoc etenim retinet Libertatem suam. Potest appetere hoc bonum, et non appetere: potest appetere hoc, uel illud bonum particulare: hoc prae alio: hoc, uel illo modo, loco, tempore. Demum uero illud monendum, in parte negatae libertatis a coactione, iuxta et a necessitate, ubiuis fere locum esfa distinctioni inter Libertatem ipsam, et usum Libertatis. Vfus licet Libertatis aliquando tollatur in uoluntate, Libertas tamen ipsa nunquam tollitur.

PARADOXON

III.

APPETITVM FERRI IN INCOGNITVM.

VIlgus: *Appetitum non ferri in incognitum.* Sigillatim, quod attinet ad Appetitum rationalem: *Voluntatem non esse incogniti.* Item: *Nihil esse uolitum, nisi quod ante sit cognitum.* Ignoti nullam esse cupidinem. Neque id sine causa. Omnia enim boicum appetunt. Appetibilitas necessarium bonitatis est consequens. Quidnam autem bonum sit, uoluntas nescit. Coeca est: perse nihil cognoscit: omni cognitione caret. Debet ergo illustrari a potentia cognoscente, et quidem ab intellectu, qui obiectum, eiusque circumstantias ipsi reddit familiares, quo possit idem illud appetere, quo possit circa illud actus suos exercere. Illud ergo,

ergo cognitum demum uel appetit, et prosequitur; uel
fugit, et auersatur. Contra ea nec diligimus, nec odio
habemus incognitum. Qui illud appetere, uel fugere
possimus, quod utrum sit, nec ne, utrum bonum, an
malum, ignoremus? Non entis nulla attributa. Ex.
causa, potesne appetere, aut quaerere thesaurum, ni-
si scias esse? Insanus foret labor. Potesne appetere,
quod, sitne naturae tuae conueniens, an non, haud
scias? Equum emens non aliter, quam, ut bonum, emis.
Accedit, quod intellectus sit principium actionum hu-
manarum, atque adeo etiam uolitionis, et auersationis.
Posito autem intellectu in actu cognitionis, ponitur co-
gnitio. Iam ante actum uoluntatis intellectus ponitur in
actu cognitionis. Ergo tunc etiam ponitur ipsa cogni-
tio. Si itaque cognitionis semper praecedet actum uolun-
tatis, uoluntas semper fertur in obiectum cognitum.
Verum autem est prius: ergo et posterius. At enim
uero, quicquid huius rei sit, ingeminamus paradoxon:
Appetitum ferri in incognitum. Primo autem id uerum est
de Appetitu naturali. Appetitus quippe accipitur nunc
propterea, pro potentia uiuentium, et quidem, cogni-
scendi uicem pollutum; cuiusmodi Appetitus est duplex:
Sensitius, et Rationalis: mox pro inclinatione na-
turali. Ad hanc non requiri cognitionem, indubium
est. Appetitus enim naturalis est ille, quo materia appe-
tit formam, quae neque materiae, neque aliis cuius-
quam rei, notitiam habet. Ita lapis, qui omni uicem cognoscendi
destituitur, in loco superiore detentus, natura-
lem habet appetitum ad motum deorsum. Ita plan-
ta, quando protrudit flores, habet finem sibi proposi-
tum. Omnia enim propter finem agunt. Quicquid au-
tem

tem agit propter finem, id ipsum finem debet cognoscere. Qui enim aliquid propter id, quod obscurum, et ignotum est, posset operari? Certum est, plantas, et arbores, propter finem agere. Nec enim frustra flores parturiunt, sed hoc fine, ut olim fructus ferant, ac procreent. Agunt ergo propter finem, eundemque cognitum. Sed haec cognitio est *διαλόγως*, ita dicta. Nam Appetitus iste, qui mineralibus, ut et uegetabilibus trahitur, est Appetitus minus proprius dictus. Qualis autem Appetitus, talis cognitio. Deinde id uerum est de Appetitu sensitivo, qui cognitionem sensualis sequitur. Et hic fertur in incognitum! Quoties bruta appetunt, et deuorant, quae nocent? quoties pecora, pescudesque, herbas depascunt, afferentes exitium? quoties oves, gramina comedentes putrida, uitium contrahunt, et mortem cateruant oppetunt? quoties insecta domestica, muscae, mures, glires, cum esca uenenum hauriunt, intereuntque? Denique uerum et id est de ipso Appetitu rationali. Nam primo uoluntas est impossibilium, auctore Aristotele, III Eth. C. II. Impossibilita uero sunt non-entia. Non entis nulla scientia, nulla cognitio.

Si uoluntas est impossibilium, uoluntas fertur in incognitum.

Atqui est impossibilium.

Ergo fertur in incognitum.

Deinde,

Scientia rei ignotae aut cognita nobis est,
aut incognita.

At uero cognita nobis dici non potest: ab enim
a nc-

a nobis, et ob id uersus eam appetitu mouemur desiderii.

Igitur est incognita : atque ita relinquitur iterum illud, quod principio dixeramus : *Dari appetitum incogniti.*

Denique.

Si actum, consilium ue intellectus, praecedit imperium uoluntatis, uoluntas fertur in incognitum. Nam consilium illud est incognitum. Secus daretur in infinitum progressio.

Iam autem actum intellectus antecedit imperium uoluntatis. Namque intellectus ipse mouetur a uoluntate ad actus suos Theoreticos edendos, aut non edendos.

Quapropter uoluntas fertur in incognitum.

PARADOXON

IV.

VOLVNTATEM APPETERE

MALVM.

Appetibilitas necessarium est boni consequens: omniaque bonum appetunt. Id si uerum, uerum erit et hoc: uoluntatem, aut ea, quae uoluntatem habent, bonum, et nihil aliud, nisi bonum, appetere. Aristoteles, V Metaph. C.II, et II Physic. C.III,

D inquit:

inquit: *Appetitus non fertur, nisi in bonum.* *Appetitus non est,*
nisi boni: haec regula a Vafuetio inter principia nobis-
cum nata numeratur. Vnde perulgatum illud DD.
Scholasticorum axioma: *Nemo intendens ad malum opera-*
tur. Ratio est, quia nil, nisi bonum, est conueniens uo-
luntati, adeoque solum etiam bonum, tanquam ei con-
ueniens, eandem mouere, et alicere potest. Contra-
malum nullam habet in se rationem, quamobrem
appetatur. Quod si ergo nulla datur causa, cur appeti-
tur, erit fugiendum. Si tamen fugiendum, quonam
modo dici potest appeti? Appetitus nihil est aliud, quam
rei appetentis ad aliam inclinatio. Nihil uero inclina-
tur, nisi ad aliquid sibi simile, et conueniens. Hoc au-
tem est, et dicitur bonum. Porro, omne agens mouetur
a fine: omnia propter finem agunt. *Finis autem rationem*
boni habet; inquit Aristoteles, I Metaph. C. XII, et VII
Phys. Text. XXIII. Idem ille: *Omnis, inquit, finis est*
bonum quid. I Eth. C. I, et VII; II Phys. C. II, et III; I Polit.
C. II; V Metaph. C. II, et alibi. Amplius. Potentia nulla
fertur, nisi in suum obiectum. Est autem bonum obie-
ctum appetitus, sicut uerum est obiectum intellectus.
Iam omnis appetitus ad bonum tendit, id est, ad conve-
niens. Ita planta pluuiam appetit: ita cuiuis animanti da-
tus est appetitus salutis, et conseruationis suae. Rur-
sus. Non diligimus, nisi cognita. At, quicquid intelle-
ctus directe intelligit, illud ens est. Ens enim, qua cogni-
tionem directam, est adaequatum intellectus obie-
ctum. Quod autem ens est, id eo ipso, quod ens est, bo-
num est. Bonum enim est affectio entis, una sane, atque
eadem res cum ipso ente. Ergo intellectus tantum-
modo id intelligit, et si uoluntas id solummodo appetit, ac
uult,

uult, quod bonum est. Quicquid sit, antea dictum repetimus: *Voluntatem malum appetere*. Non tamen trita, et proletaria argumenta repetimus. Exempli causa.

Si multi sibi ipsis mortem conciscunt, si mul-
ti sectantur uoluptates turpes, si multi
aliorum damno ditescunt, produnt pa-
triam, a religione deficiunt, furta commit-
tunt, uitia quaevis alia, sceleraque patrant;
consequitur, uoluntatem malumappe-
tere.

Atqui uerum Antecedens.

Quare et Consequens.

Facilis enim est ad haec responsio, potestque negari
propositio, cum haec talia perpetrantibus non mala,
sed bona uideantur. Distinguunt tamen hic conuenit inter
objeci materiae, et formale, siue, inter rem ipsam, et
inter rationem, qua quidpiam appetitur, uel reiicitur; it.
inter bonum, et malum, materialiter, et formaliter spe-
ctatum; it, inter bonum honestum, utile, et iucun-
dum. Si non destinatur bonum honestum, destinatur
certe utile, aut dulce; si non uerum, certe apparens. Si-
militer, si peragitur malum, non peragitur, et fit, qua
malum, siue sub ratione mali, sed qua bonum, siue sub
ratione boni, puta, quatenus lucrum, aut uoluptatem
affert. Semper hic ratio boni interuenit. Ut multa ui-
dentur esse mala, quae tamen in se sunt bona: ita multa
bona, quae reuera mala. Quin potius alia commemo-
ramus. Praemonemus autem, loqui nos de malo cum
culpae, tum poenae. Nec enim homo modo uitium
colit, sed quoque damnum, et incommodum appetit.
Exemplo nauta est, dum, in periculo naufragii faciendi

uersans, nauim mercimoniis exonerat : exemplo is,
qui, uitiae redimendae gratia, pecunias latroni siue ex-
soluit, siue promittit: exemplo fuit Dauid , Rex, qui ex
tribus malis poenae propositis pestem elegit, II. Sam.
XXIII. Iactura mercium, iactura numorum, iactura
uitiae subiectorum, sane mala est ; neque apparenter,
sed ttere. Ac licet iactura eadem non absolute, sed com-
parate, contemplatione maioris mali euitandi, sit bona,
sufficit tamen, quod uere sit mala. Reuera enim da-
mnum, reuera infortunium est. Nam malum, cum
alio malo, uere tali, comparatum, non euadit bonum.
Est enim haec propria comparatio, et ea, qua utrumque
extremorum de tertio comparisonis participat. Mi-
nus malum est (neque id diffitemur) propterea tamen
non bonum. Magis, et minus, quis nescit non mutare
speciem ? Ac proinde sciri potest, quid habendum ui-
deatur de uerbo Aristoteles. Εν ἀγαθῷ λόγῳ ωγιεται τοῦλατ-
τον καὶ προς τὸ μὲν. Minus malum, si ad maius bonum
comparetur, boni locum obtinet. Aristot. Nicomach. V,
C. VII. Sed in uiam reuertimur, daturi argumenta as-
serti nostri. Vnum nobis nascitur ex uoluntatis Libertate, eademque contrarijetatis. Vi huius uoluntas uerfa-
tur uel circa contraria, uel circa disparata. Iam obiecta
contraria uoluntatis non sunt alia, praerquam bonum,
et malum. Disparata autem sunt: hoc, et illud bonum;
hoc, et illud malum. Circa utriusque generis obiecta
uoluntas hominis occupatur, non item uel Dei, uel ge-
nii boni, aut mali. Hoc ipso enim uoluntas humana a
diuina, pariter ac angelica uoluntate distinguitur. Ob-
iectum enim uoluntatis diuinae, ut et angelicae, in bo-
nitate confirmatae, tantum est bonum; geniorum au-
tem

tem defectorum tantum malum. Quamvis uero Dei,
angelorumque uoluntas determinetur uel tantum ad
bonum, uel tantum ad malum, tamen propterea Libertas
contrarietatis non excidit. Datur enim hoc, istud,
illud bonum: hoc, istud, illud malum. Atqui haec dispa-
rata sunt. Circa haec eadem Libertas contrarietatis,
uniuerse spectata, non minus, quam circa contraria,
uersatur: sed tamen Libertas diuina, et angelica, tantum-
modo, prout iam audiuimus, circa disparata. Contra
sola hominis uoluntas ad bonum, perinde ac malum,
est indifferens; it. ad hoc, istud, illud bonum; ad hoc,
istud, illud malum. Inquies: uoluntas, cum fertur in
malum, non fertur in bonum, ut malum, sed, ut bonum;
etsi non honestum, tamen utile, uel iucundum. Malum
igitur illud non est malum, sed bonum, licet non uerum,
sed apparens. Ergo, dum uoluntas in ipsum malum
fertur, fertur in bonum; dum ruit in malum uerum,
fertur in bonum apparens. Absurde. Si uoluntas,
cum in malum fertur, fertur tantummodo in bonum
apparens, malum hoc erit non malum. Si hoc, uolun-
tas pro materia subiecta non habebit contraria. Habe-
bit enim solummodo disparata. Nam bonum appa-
reens, ratione agentis, perinde est bonum, ac bonum ue-
re bonum. Si hoc, non dabitur alia Libertas contrarie-
tatis, quam quae est circa disparata. Si hoc, eo ipso uo-
luntas humana nihil omnino differet a uoluntate diuina,
angelicaque. Non item, nisi insulse, dixeris, uolunta-
tem hominis in bono, et malo occupari. Malum e-
nim, quemadmodum tu quidem accipis, non est ma-
lum, sed bonum. Cur itaque ais, cur plerique omnes
aiunt DD. morum; uoluntatem nostram circa bonum,

malumque occupari? Idem nobis uideris, uidentur dicere: uoluntas uersatur circa bonum, et malum. Argumentamur.

Si uoluntas non potest appetere malum, ut malum, uoluntas natura non erit libera Libertate contrarietatis.

Sed Consequens est absurdum.

Quare et Prius.

Ex dictis ceteroquin colligitur, errare et eos, qui statunt bonum, et malum, pertinere ad eandem appetendi facultatem, sed tamen non ad eundem eiusdem facultatis actum; sed partim ad actum prosecutionis, partim ad querstationis. Iam enim, opinamur, euictum est, non modo bonum, uerum etiam malum, ad prosecutio-
nem pertinere. Aliud argumentum nobis suppetit, i-
demque illud oppositorum locus suppeditat. Summa
est.

Si oppositorum est eadem potentia, seu facultas,
uoluntas erit et boni, et mali. Nam appeti-
tus omnis est potentia quaedam: hinc et
uoluntas, quippe nobilissima inter species
appetitus: est enim appetitus rationalis.

Atqui uerum Antecedens, e.g. uisus est albi, et
nigri.

Ergo etiam Consequens.

PARADOXON

V.

**VOLVNTATEM NON ESSE
MEDIORVM.**

Oppositum *Paradoxo* huic uidetur hoc axioma:
qui uult finem, uult media. Nam sine mediis ne-
cessariis finis obtineri nequit. Media enim sunt
causa finis. Iam, sublata causa, tollitur effectus.
Si quis igitur fine potiri cupit, necesse est, utatur me-
diis. Si quis multarum rerum scientiam comparare ue-
lit, oportet, ut diligenter legat, scribat, audiat: si quis Sa-
lutem aeternam uelit consequi, opus est, ut Verbum
Dei audiat, ut credat, ut utatur Sacramentis. Haec talia
enim medii rationem habent, et tamen uoluntati, illa
uelenti, tribuuntur. Sed sciendum tamen, uoluntatem
nunc generaliter sumi, mox specialiter. Generaliter
capitur, quando *oꝝꝝ*, designat, promiscue cum finem,
tum media recipientem. Specialiter autem sumitur,
quando electioni contradistinguitur. Hoc pacto uti ab
electione diuersa est, ita distincte, exclusis mediis, in fi-
nem tendit. Atque ea significatio est in *Paradoxo*. Por-
ro elicta uoluntatis actio est duplex: *Volutio*, quae circa
bonum est, et *Nolitio*, quae circa malum. Actio circa bo-
num aut est circa finem mediorum, aut circa media ipsa.
Illa dicitur *Volutio*: haec *Electio*. Illa rursus diuisa est, et
triplex ponitur: *Volutio*, sensu maxime speciali, *Fruitio*,
et *Intentio*; haec pariter totuplex: *Electio*, notione iti-
dem

dem specialissima , Consensus , et Vsus. Siue iam uoluntas , et quidem ea , quae circa bonum occupatur (id est , siue facultas , siue actus appetendi bonum) accipiat late , siue stricte , tunc est non modo finis , uerum etiam mediorum : fin autem strictissime intelligatur , tantummodo est finis . Atque adeo , ea significandi ui , ue- rum est hoc :

Voluntatem non esse mediorum.

PARADOXON

VI.

INTELLECTVM , ET VOLVNTA- TEM , ESSE MOVENS , ET MOTVM .

150
Inde ab intellectu exordiamur . Licet uoluntas sit fundamentum moris , nec ulla actio , nisi uoluntaria , censeatur moralis , et aut honesta , aut turpis ; et uel laudis , uel uituperii capax ; item uel praemio , uel poena digna : tamen nihilominus nonnullae etiam ipsius intellectus in doctrina morum partes sunt . Est quidem intellectus non causa talium actionum principalis , quod decus sola uoluntas sibi vindicat : est tamen causa ministrorum , et quidem prima , quia nobilissima animae humanae potentia est , aut potius conditio sine qua non . Si omnino est causa , est potius causa impellens uoluntatis , tanquam cause agentis , actusque morales producentis , quam ipsa causa quaedam agens , actusque morales producens . Est enim potentia co-
gno-

gnoscens, actusque speculatiuos, non Practicos, edens.
Quod ut paulo constet luculentius, poteatue, explicandum uidetur, quid sit intellectus, et quotuplex, quae item eius hic officia. Intellectus est facultas cognoscens animae rationalis. Estque speculatiuus alius, alius praticus. Ille sic cognoscit res, ut solam earum ueritatem compleetur, citra habitudinem ad operationes instituendas: hic autem in cognitione illa non acquiescit, sed eam extendit ad illa, quae ad actiones honestas, et uitiae humanae accommodatas, pertinent. Officium, aut functio rationis practicae quadruplex est: notificans, diudicans, consultans, et mouens, seu inclinans. Nimirum uoluntas potentia coeca est: ex se non habet, unde obiectum uidere, eius bonitatem, aut malitiam perspicere, media agendi inuenire, moueri denique, ac dirigi queat. Prima itaque functio intellectus est notificans, seu repraesentans. Hac functione intellectus uoluntati obiectum, uelut in speculo, repraesentat. Ad huius obiecti siue prosecutionem, siue fugam, omnino ante omnia requiritur eiusdem cognitio. Nam ignoti nulla cupido. Voluntas autem, cui actus morales debent originem, est, ut iam dictum, potentia coeca, omnique cognitione destituitur, ac per se nihil cognoscit. Iam autem, si nihil cognoscit, nihil etiam potest uelle. Si igitur debet uelle, si appetere, uel auersari, opus utique est potentiae alterius adiumento, quae potentia uoluntatem erudiat, quasique illustrat, eique obiectum, siue prosequendum, siue auersandum, reddit familiare. Haec potentia est intellectus, quae uoluntati rem illam in apricum profert, et ostendit. Sunt quidem tres potentiae cognoscentes: alia naturalis, alia sensualis, alia

E

intel-

intellectualis: attamen hic tantummodo intellectus, et cognitio intellectualis intelligitur, quippe quam solam uoluntas ante cognitionem suam requirit. Etsi enim potentiae ceterae non reuiciuntur, tamen non sunt huius loci, nec illuminare possunt uoluntatem, sed sunt ministrae intellectus, cuius ceteroquin cognitio plerumque a cognitione sensuali incipit, et in illo ipso deinde perficitur. Nam nihil fere est in intellectu, quin antea fuerit in sensu. Solam igitur intellectus operam, et cognitionem, non sensuum, uoluntas requirit. Nam hi non sunt proportionati ad uoluntatem, ceu potentiam spiritualem, et immaterialem. At omnino eiusmodi cognitio requiritur, quae procedat a simili natura. Haec cognitio ab intellectu est, haec uoluntati est norma, et regula agendi. Functio intellectus dijudicans est illa, quae obiectum bonum, uel malum esse iudicat, actale uoluntati monstrat. Poteft constare uoluntati de obiecto, ut non protinus constet de eiusdem bonitate, uel malitia. Praesentatio prior itaque erat saltem generalis, et confusa: altera autem bonitatem rei, uel mali-
tiam aperit, et manifestat. Ceterum functio haec, atque hoc iudicium intellectus est uel absolutum, uel comparatum. Absolutum, quod rem generatim, nullae circumstantiarum ratione habita, uel bonum, uel malum esse iudicat. Ut: bellum esse malum. Comparatum, quo aliquid cum rebus aliis collatum, et secundum circumstantias examinatum, hic, huic, et nunc bonum, uel malum, faciendum, uel fugiendum, iudicatur. Attenditur igitur hic ad circumstantias, ex, causa, subiecti, modi, temporis, loci, ad quas in primis in actu omni est respiciendum. Moralitatem enim summopere uariant.

Item



Item ratio bonitatis, uel malitia specifica exquirenda,
dispiciendumque est, sitne bonum aliquod uerum, an
apparens; honestum, an utile, an iucundum. Similiter:
sitne malum aliquod uerum, an apparens. Quod iudi-
cium eo pluris aestimandum, quod cum circumstan-
tiae, sicut monuimus, rem uariant: tum saepe usu ue-
niat, ut, si quid intellectus iudicio absoluto iudicaue-
rit bonum esse, aut malum, mox, iudicio comparato, de
eo aliter pronunciet, exempli gratia: bellum esse bo-
num. Quod quidem ratio antea iudicarat esse malum.
Quae igitur mutatae sententiae ratio? Illam circum-
stantiae dictitant. Bellum quippe bonum ad defensio-
nem patriae, ad propulsionem iniuriarum, ad recupe-
rationem amissorum. Funcio intellectus consultans.
uno uerbo consilium, seu consultatio, seu deliberatio,
appellatur. Est autem consultatio actus intellectus pra-
ctici, quo media, ad finem consequendum idonea, dili-
genter inuestigantur, inuentaque recte diuidicantur.
Consistit haec ipsa primo in mediorum inquisitione;
deinde in attenta mediorum, quoad quantitatem, et
qualitatem, consideratione; tertio in mediorum diiudi-
catione, et circumspectione, sintne euidenter, an proba-
biliter, an dubie, an apparenter bona; item, quae reli-
quias sint meliora, et aptiora; quarto in mediorum iusta
dispositione. Restat functio intellectus mouens. Post-
quam enim intellectus uoluntati obiectum stitit, et re-
praesentauit, bonitatem item eius, aut malitiam,
omnesque circumstantias, examinavit, ultimo loco
media, ad illud exequendum, uel omittendum, spectan-
tia inuestigauit, et ponderauit, eiusdem obiecti execu-
tionem uoluntati denunciat, et interna quadam locu-

tione eidem significat, et suadet, quid agendum sit, eundemque suadendo mouet, ut honestum exequatur, turpe autem fugiat, et auerteretur. Mouere autem uoluntatem est nihil aliud, quam de potentia in actum exerere, ac traducere. Veruntamen haec impulsio non est dominium, non est imperium, ut nonnulli sibi persuasum habent; sed consilium, sed amica suasio. Nam uoluntati liberum est, integrumque, uelutne intellectum sequi, an non. Secus enim periret libertas uoluntatis, hominesque necessario agerent. Perinde comparatum uidetur cum intellectu, ut cum consiliario, cuius uel optime consulta princeps saepe non exequitur. Saepe numero uoluntas uidet meliora, pariter et probat: ueruntamen deteriora sequitur.

Sed trahit in uitam nouam, aliudque cupido,
Mens aliud suaderet: video meliora, proboque,
Deteriora sequor:

Verba sunt Medeae. Vid. Ouid. Metamorphoseon VII,
Cui geminum illud apud Vatem eundem:

Nicimur in uetitum semper, cupimusque negata:
III Amor. Eleg. IV. Habitu uoluntas instrui debet, quo
facilius faciat, perficiatque, quod ei fuerit cognitum, et
persuasum. Falsus est proinde Thomas Aquinas,
qui, I, 2, qu. 17, de hoc argumento ex instituto agens,
non dubitat imperium intellectui in uoluntatem tri-
buere. Imperium, inquit art. 5. nibil aliud est, quam
actus rationis ordinantis, cum quadam motione ad aliquid a-
gendum. Manifestum est autem, quod ratio potest ordinare
de actu uoluntatis. Sicut enim potest iudicare, quod bonum
sit aliquid uelle, ita potest ordinare inquirendo, quod hoc uelit.
Idem, II, 2, qu. 47, art. 8, rationis constituit tres actus,
quo-

quorum quidem primus sit consiliarii, id quod pertine-
re ait ad inuentionem; secundus iudicare de inuentis,
id quod pertinere dicit ad speculatiuam rationem; ter-
tius praecipere, qui quidem actus consistat in applica-
tione consultorum, et indicatorum, ad operandum. Ni-
hilo rectius Aristoteles existimat, *vñ*, appetitui, ut re-
gem, aut magistratum imperare, I. Polit. C. III. At re-
ctius multo censem, qui imperium uoluntati deferunt,
eandemque potentiarum ceterarum reginam appelli-
tant, et primum in regno animae mouens, atque impel-
lens; intellectumque adeo non esse superiorem uolun-
tate. Quod quidem ita esse, uel exinde patet, quod uo-
luntas non assurgat necessario ad praeceptum intelle-
ctus. Verbo: uoluntas domina, regina, et imperatrix
est nostrarum actionum: intellectus minister, suafor,
consiliarius. Hic suader, mouetque, et impellit, ostensa
bonitate, uel malitia obiecti. Vnde et ab ipso obiecto
uoluntas moueri saepe dicitur. Potestque uis ea obie-
cto afferi immediate, ceterum nec rationi, quae inter-
medio obiecto mouet, derogari. Motio utraque ciuilis,
non herilis est. Intellectus non mouet uoluntatem, nisi
proponendo tantummodo obiectum, seu ostendendo
rem, quae merito amari, aut odio haberri possit: nullo
autem modo uoluntatem cogit, ac si uoluntas obtem-
perare cogatur, nec imperium queat spernere, sed irre-
sistibiliter sequatur. Ostensio obiecti quanquam excita-
re potest appetitum, necessitatem ei non affert, tum,
quod plura obiecta eiusdem generis simul ab intellectu
repraesentari possint: tum, quod experientia testetur
fatis, nos saepe rationem prauam, et appetitum malum
sequi, nec uirtutem, sed uoluptatem eligere, quamvis

uirtutem honestiorem iudicemus: tum, quod hoc idem
testentur delicta contra conscientium, contradicente
ratione patrata, et patrari solita. Voluntas ante actionem
requirit rationem, non tamen, tanquam causam,
uolutionem necessitatem: tolleretur ita ipsius Libertas;
sed ut principium approbans, ac dirigens. Praecedat
cognitio, necesse est, iudicium, et consultatio, item mo-
tio, priusquam uoluntas uelit, nolit, agat, omittat. Nihil
uult uoluntas, nisi cognitum, nisi expensum, et explo-
ratum, nisi liberatum. Vnum addimus, uulgaris sta-
tuere, intellectum mouere uoluntatem saltem qua spe-
ciam actus, non uero, qua exercitium actus. Id est, in-
tellectum ita mouere uoluntatem, ut hoc, uel illud ue-
lit, nolit; hoc, aut illo modo. Sensus hic est: intelle-
ctum proponere uoluntati obiectum, a quo, tanquam a
principio formaliter externo, actus uoluntatis sumant spe-
ciam, et quod intellectus uoluntati obiectum commone-
stret, ac proponat. E contrario intellectum non posse
impellere uoluntatem, ut agat, uel non agat, nihilque ipsi
iuris esse in libertatem contradictionis. Sed nos tamen
credimus, rationem non minus ad exercitium, quam
ad speciem actus, uoluntatem commouere. Intellectus
quippe, patefacta bonitate, uel malitia rei, utique uo-
luntatem mouet ad agendum, uel omissendum. Exem-
pli causa, intellectus non tantum mouet uoluntatem ad
colendam uirtutem, et fugiendam uoluptatem; sed et-
iam ad unum obiectum uel amplectendum, uel non
amplectendum. Vidimus hucusque: intellectum esse
mouens: esse uero eundem et motum, nunc iam dispi-
ciamus. Nimis ita mouet uoluntatem intellectus,
ut ipse, et quidem prior, a uoluntate moueat. Non
solum

solum potentiae inferiores, sed quoque intellectus, potentia superior, ad actus suos ab appetitu rationali mouetur, ac perpellitur. Ac intellectus quidem, et si per se uidet, et cognoscit, et insito quodam lumine a Creatore donatus est, tamen nullum habet ius, et imperium, non tantum in voluntatem, potentiasque inferiores, sed ne quidem in seipsum. Contra, tametsi uoluntas coecutit, tamen imperat, cum sibi met ipsi, qua actus elicitos; tum potentis inferioribus, qua actus imperatos; immo etiam ipsi intellectui, quoad actus eius theoreti-
cos. Imperium enim praecife, ac formaliter spectatum, nil est aliud, praeterquam liberrimus usus actius, quo potentia superior potentias alias, sibi subiectas, ad operandum applicat. Atque adeo imperium uoluntati est proprium. Intellectus quidem est uoluntatis consiliarius: sed uoluntas quidam uelut imperator intellectus, huic imperans, ut sibi consulat, ut obiectum agendum, aut fugiendum, item media agendi ostendat, ac prescribat. Illud tamen si fit, uoluntati nihilominus liber-
rima est potestas, uelutne datum consilium sequi, an re-
pudiare. Vulgus hic opinatur, intellectum moueri a uoluntate tantummodo qua exercitium sui actus. Ete-
niam, nos experiri, nos animum nostrum applicare ad aliquid cognoscendum, uel ab eo retrahere, cum ueli-
mus. At enim uero causa subest, cur iterum secessio-
nen faciamus, omninoque statuamus, tum quoad ex-
ercitium actuum suorum, tum quoad specificationem,
intellectum a uoluntate moueri. Voluntas autem in-
tellectum quoad exercitium actuum mouet, non qua
ipsam perceptionem obiecti, sed qua primam ad idem
conuersionem. Hoc modo, non priore, mouet uolun-
tas

tas intellectum, cum intellectus sit facultas necessaria,
et, positis omnibus ad agendum requisitis, non possit
non agere, et obiectum suum percipere, et ei assensum
praebere, uel non. Vtique intellectum uoluntas mo-
uet, ut actum exerceat, uel non exerceat. Quantum
uero ad specificationem actuum intellectus attrinet, uol-
untas intellectui imperat, ut hoc, uel illud obiectum,
eiusque circumstantias consideret; aut, ut, hoc obiecto
relicto, ad aliud considerandum se conuertat; aut, ut bo-
num, uel malum, sibi monstratum, cotisideret melius, et
rationes boni potiundi, uel mali euitandi, excogitet:
non autem, ut, obiecto apprehenso, et cognito, assen-
sum, uel dissensum praebeat. Ultimus enim actus uo-
luntati non competit, cum, ueluti paulo ante dictum, in-
tellectus potentia sit necessaria, rebusque apprehensis
necessario siue assensum, siue dissensum commoderet.
Primo itaque quoad exercitium uoluntati competit im-
perium in intellectum, quia intellectus ipse non potest
se mouere ad intelligendum, nisi prius a uoluntate mo-
tus fuerit. Deinde etiam quoad specificationem: id-
que certo modo, a nobis tradito. Praeterea haec omnia
intelligenda sunt solummodo de actibus ordinariis, ac
deliberatis intellectus. Nam suboruntur nobis non
nunquam cogitationes non uolentibus, in quas iterum
uoluntati nihil est iuris. Tandem uero missum faci-
mus prius Paradoxi capit: accessum facimus ad alte-
rum: idque est hoc: *Voluntatem esse mouens, pariter et mo-*
zum. Voluntas est mouens: mouet autem primo intel-
lectum, uelut iam modo accepimus. Hunc ipsa uolun-
tas ad cognoscendum, diudicandum, deliberandum
impellit. Deinde mouet potentias animae inferiores

ad



ad edendos actus imperatos. Potentiae autem tales sunt: sentiens, et uegetans. Potentiae sentientis facultates tres: cognoscens, appetens, seu appetitus sensitivus, et locomouens. Quantum attinet ad facultatem cognoscentem, uoluntas mouet huius sensus, tum internos, tum externos. Inter sensus internos mouet primo sensum communem, ut apprehendat species sensibiles, sive, ut a sensibus externis excipiat imagines, et simulacra rerum, et discernat tum inter se, tum propria a communibus separando, et mittat ad phantasiam. Mouet secundo phantasiam, seu uim imaginatricem, ut hanc, uel illam rem sibi imaginetur, aut non; ut diuidet species, a sensu communi allatas, et in naturamphantasmati conuerrat; ut denique species nouas efformet, coniungendo, aut separando species acceptas. Mouet tertio memoriam, phantasiae ministram, ut species, seu imagines, sibi a phantasia impressas, retineat, conseruet, et, ubi opus, denuo exhibeat, ac repreaesentet. Quae quidem omnia ita, quomodo diximus, euenire, experientia edocet. Neque tamen censendum, motu-
nem uoluntatis, ratione sensum internorum, esse de-
spoticam, ac herilem: est politica, ciuilis, lenis, teste ea-
dem experientia. Haec etenim attestatur, actus inter-
norum sensuum motionem uoluntatis non semper se-
qui. Ita sensus communis, per seuerante sensu externi
operatione, necessario operatur, nec a uoluntate impe-
diri potest. Saepe item actus, impetusque phantasiae
actus uoluntatis anteuertunt, ut si dormiat corpus.
Somnia enim, phantasiae opera, uoluntas neque inhi-
bere, neque mutare potest. Saepe per quietem simula-
cra rerum obiiciuntur phantasiae, quae nolis. Tan-
dem

dem neque penes uoluntatem est, illa, quae memoriae
tradita fuerint, siue delere, seu seruare. Saepe imbecil-
lior, minusque exprompta memoria est, nec uoto uo-
luntatis semper respondet. Haerent etiam saepen-
umer contra uoluntatem cogitationes pertinacissime,
praesertim si eas aut obiecti praesentia diuturnior, aut
daemonum instigatio, aut naturalis temperies organi,
aut uehemens denique appetitus sensitiui affectus effe-
cerit. Sensus facultatis cognoscendi internos excipi-
unt sensus externi, quos pariter uoluntas mouet. Mo-
uet uero, ut sentiant, obiecto sensibili admoto, quando,
et ubi uoluitus. Attamen monendum, uoluntatem sen-
sus illos uel mouere, uel impeditre, non simpliciter, ue-
rum secundum quid. Mouet quidem primo, si cuncta
adsint requisita sensationis, siue ad sentiendum perti-
nentia. Horum primum est obiectum sensile. Omni-
no, ut obiectum sensile sensu admoueat, ante omnia
requiritur. Secundum recta organi constitutio. Quod-
si enim organon, quo sensus utitur, depravatum, siue
natura, siue imbecillitate corporis fuerit, motio uolun-
tatis impeditur. Saepe accidit, ut organon, potentiae
subseruiens, uitium habeat. Exempli causa: si qui diffi-
culter audiunt, facile errant: qui error intellectum, et,
intellectu intermedio, uoluntatem tangit. Si qui ictero
laborant, illis omnia uidetur esse flava. Tertium iu-
sta inter obiectum sensile, et sensum distantia. Si enim
fuerit nimia, pariter uoluntas mouere, et imperare ne-
quit, ut sensus agant, sentiantue. Si turris procul nimis
distant, haud uidetur: acumen oculorum eo non pene-
trat: species sparsa propter distantiam nimiam, et nimia
effluvia, in aere oberrantia, euaneat, Quartum est me-
diuum

dium legitime constitutum. Sic ad uidendum requiri-
tur aer illuminatus, cuiusmodi fuerit, motio uolunta-
tis erit irrita. Voluntas sane imperare non potest poten-
tiae uidendi, ut noctu uideat. Mouet uoluntas secundo, si
sensus actum intellectus, et uoluntatis non anteuer-
tunt. Nonnunquam enim occurruunt sensibus obiecta,
quae illis oblata nolis, et percepta; nonnunquam etiam
repente, et praeter spem, atque expectationem, obie-
cta sensibus offeruntur, et percipiuntur, sensationem
que excitant, ante motionem uoluntatis. Vtrumque
cum accidit, tantum abest, ut uoluntas sensus moueat,
ut potius sensus ab ipsis obiectis, idque uel contra, uel
ante motionem uoluntatis. Multi tonitrua uel maxime
audire nolunt: attamen audiunt: multi sentiunt tem-
pore hyberno frigus inclemens, aestiuo calorem
intensiorem, inuiti. Sordida loca praeteriens nari-
bus odorem attrahis uel inuitissimus. Quoties nesciis,
nolentibusque nobis bombarda exploditur? Haec ob-
iecta omnia sensibus obueniunt praeter, et contra uo-
luntatis imperium. E contrario ante uoluntatis mo-
tionem, imperiumue, saepe aures audiunt explosio-
nen tormentorum: oculi uident iridem, cometen,
meteora. Mouet tertio quoad initium agendi, seu con-
uersionem sensuum ad obiectum; non uero, qua pro-
gressum, seu ipsam perceptionem. Sensus enim externi
sunt facultates necessariae, et naturali quadam necessi-
tate agunt, et, positis omnibus ad agendum requisitis,
non possunt non agere, sentire. Obiter de actibus sen-
suum externorum adhuc addendum, quod uoluntas
eosdem non modo praecipiat, uerum etiam impedit.
Exempli gratia, non audire, non uidere, in nostra est

potestate, et libertate, qua libertate sensus, eorundemque organa, ab obiectis, quando, et ubi libet, auertere possumus. Sed id ipsum tamen intelligendum est fieri indirecte, et per accidens, quatenus uoluntas, dato aliquo, uel ex parte organi, uel obiecti, uel medii, impedimento, ui facultatis locomotricis, ad sensationis actus requisitae, actus illos impedire ualeat. Quae ut per accidens adueniunt, ita nec uoluntas, nisi per accidens, actus eos impedire potest. Nam si ea deficiant, atque omnia praesto sint ad agendum requisita, sensus externi non possunt non agere: secus minime. Tantum de motione uoluntatis, quae pertinet ad facultatem cognoscentem animae sensitivae: sequitur motio ratione facultatis appetentis. Mouet enim uoluntas etiam appetitum sensitivum. Nolumus prouocare ad diuinum oraculum, quod proditum legimus Gen. C. IV, comm. 7. ubi Deus Caino: *Sub te, inquit, erit appetitus tuy, et eu domi naberis ei.* Ipsa enim experientia nobis suffragatur, propterea quod nos motus, et actiones affectuum, in nobis partim excitare, partim reprimere ualeamus. Est tamen haec motio, aut hoc imperium uoluntatis non absolutū, sed oppido limitatum, nec usquequa in appetitum hunc sensitivum efficax, et saepius impediri potest, solumque. Ut recte dixerit Aristoteles: *Mentem imperare appetitui non herili, sed politico imperio.* Impeditur autem uoluntatis motio, et imperium, primo rebellione huius appetitus sensitivi, quae rebellio est pugna rationis, appetitusque sensitivi. Saepius enim appetitus iste iungum uoluntatis excutit, obsequium recusat, et, iudicio licet rationis, et uoluntate reclamantibus, in oppositum inclinat, ac propendet, et potius in bonum aliquod, sensibus

fibis gratum , ac iucundum , fertur , quam in illud ,
quod est honestum . Testem huius rei citamus Diuum
Paulum , qui : *Non, quod uolo, inquit, hoc facio, sed, quod odi,*
hoc ago. Rom. VII, 15. Addimus Iac. I, 14. *Vnusquisque*
tentatur, cum a propria cupiditate abstrabitur, et inescatur.
De Medea supra audiuimus . Contingit autem hoc ut
plurimum , sicuti nimia est affectus , et cupiditatis uehe-
mentia . Tunc etenim appetitus sensitiuus praecurrit
motionem uoluntatis , ferturque in obiectum , ante-
quam uel intellectus id diuidicare , uel uoluntas impe-
rare possit . Mirum itaque non est , si , intellectu ita in
officio suo impedito , nec uoluntas munere suo fungi
possit , cum ille huic suam consultando , et suadendo , na-
uet operam . Mouet igitur , aut potius impedit , appeti-
tus uoluntatem , quasique sublimem rapit , indirecete , et
mediate , interuentu notitiae intellectiuae , quae obie-
ctum amplectendum , aut declinandum proponit . Pas-
sio enim appetitus est causa , cur intellectus hoc , uel illo
modo , aliter , atque aliter , de re iudicet . Quo fit , ut uo-
luntas , quae iudicium intellectus sequitur , idem saepe
uelit , aut repudiet , quod ipse appetitus . Potest usque
adeo appetitus esse uehemens , ut omnino rationis u-
sum absorbeat , atque adeo uoluntatem necessario tra-
hat . Fit igitur hoc interueniente iudicio rationis ,
quamuis perturbato . Turbat autem , nisi omnino per-
uertit , iudicium rationis appetitus affectio , cum ei de-
liberandi potestatem adimit ; cum cogit ipsum intelle-
ctum statim cogitare de obiecto passionis . Vnde tales
motus uoluntatis , qui ex tali iudicio perturbato se-
quuntur , dicuntur indeliberauti . Non tamen mouet ap-
petitus uoluntatem imperando , cum facultas inferior ,

et corporis organo affixa, non habeat imperium, seu dominium, in potentiam superiorem, et immateriale. Deinde impeditur motio uoluntatis constitutione temperamenti. Hoc enim homines maxime ad certum actionis genus disponit. Temperamentum se quidem non nihil flecti, attamen non penitus a uoluntate mutari patitur. Sic, quia temperamentum cholericum mouet hominem cholericum ad iram, licet cholericus quam maxime iram cohibere uelit, tamen non semper potest. Tantum et dictum esto de motione, quae ad facultatem appetentem pertinet animae sensituae. Reliquum est, ut de facultate locomotrice animae eiusdem etiamnum uideamus. Hanc, et membra externa, uoluntas mouet, quatenus facultas illa, et organa illa animae, uoluntatis imperium comiter accipiunt, suasque edunt actiones, quando, et ubi uolumus. Atque haec motio, hoc imperium plane est, diciturque herile. Quanquam et hoc ipsummet multifariam circumscriptum est. Eius autem impedimentum est primo uis externa, qua organa prohibentur, quo minus actiones edant, quas, quando, et ubi cupiamus. Coniectus sane in vincula se mouere nequit, licet uelit cummaxime: tractus a lictoribus cogitur illuc ambulare, quo minime uult. Secundo morbi uis, qua organa saepius corrumpuntur. Ita membra laborantis ex arthritide non respondent motioni, imperio uoluntatis. Tertio bellum intestinum inter appetitum sensituum, et uoluntatem. Hic uis locomotrix illius partis sequitur partes, quae alteri praeualeat. Quarto pugna, et lucta membrorum extenorum. Haec interdum non ad nutrum obsequuntur uoluntati, uerum ei repugnant, ac relutan-

ctantur, idque propter nimis uehementem apprehensionem sensus illius interni, quidicitur phantasia, cuius apprehensio interdum usque adeo est efficax, ut a ratione, et uoluntate, uel plane non, uel uix, et aegre cohiberi possit. Si quis enim per hunc sensum sibi aliquid nimis fortiter imaginatus fuerit, membra uoluntati, licet illa uel maxime hoc uelit, non respondent. Rem hanc non magis ridiculo, quam claro exemplo, quod Ionstonus nobis suppeditauit, illustremus. *Quidam apud montanum sibi imaginabatur, totam mundi superficiem ex subtilissimo esse uitro, subitus serpentes latere, et in lecto, tanquam in insula, se morari, unde si egredieretur, facile in serpentes, uitro fracto, incidere posset.* Haec Ionstonus. Quae igitur causa, cur homo ille membra ex stragulis proferre, et uia locomotrice uti noluerit? Non alia, quam phantasiae morbus. Adhuc quaedam subiicienda restant, quae ad efficiendam motionem facultatis locomotricis requiruntur. Vnum est, ut adsint omnia ad agendum requisita, de quibus iam actū supra. Frustra enim imperabitur oculis, ut in tenebris uideant. Alterū, ut motio intelligatur de actionibus, quae singulis membris adaequatae, seu proportionatae, ac uelut naturales sint. Neque enim auribus imperari potest, ut uideant; aut oculis, ut audiant. Tertiū, ut motio intelligatur magis de actionum commissione, quam omissione. Quod si enim omnia ad agendum requisita adfuerint, non possunt membra actiones suas semper suspendere, si uel maxime uoluntas id fieri iubeat. Ita enim actiones necessario sequuntur. Ut si odor nares, sonus aures feriat. Sane odor saepe ferit nares nolentium olfacere, et sonus saepe ferit aures nolentium audire. Absolutam, et expe-

expeditam dedimus motionem uoluntatis, qua uoluntas et mouet intellectum, et potentiam animae sentientem, quoad omnes facultates suas : ueniendum nunc tandem ad potentiam animae uegetantem. Mouet hanc quidem, eiusque facultates, uoluntas lenissime. Aut nihil in ipsis, aut perparum certe imperii. Sunt autem hae: nutrix, auctrix, et generatrix. Distinguendum tamen inter ortum actionis, ab anima uegetativa profectae, et progressum. Quantum est ad actus huiusmodi originem, omnino uoluntas facultatibus animae, quam diximus, uegetantis imperare potest: non item, qua progressum. Voluntas enim eiuscemodi actiones cum excitare, tum, ne fiant, edicere potest. Libere utique homo cibum, et potum, et utrumque horum uel salubrem, uel minus salubrem; item, in iusta quantitate, uel in iniusta, sumit. Idem libere quoque augmentationi sua dat operam, prout nutrimentum uel recre concoquit, uel minus. Libere item suscipienda proli operam nauat. Haec omnia, positis omnibus ad agendum requisitis, non minus potest intermittere, quam agere. Quae tamen longe aliter sese habent in plantis, perinde ac brutis, quae, positis omnibus ad istas actiones requisitis, non posseunt non agere. Quod iam est ad progressum actionum animae uegetativaee omnium facultatum, natura ibi primas tenet, uoluntas ne quidem secundas, sed prorsus, atq; omnino exulat. Vis enim, facultasque uegetans neque ipsa rationem habet, neque rationis ductui paret. Potentia quidem sentiens et ipsa non est rationalis, ueruntamen apta nata est rationis, perinde ac uoluntatis, motioni obsecundare. Contra uegetans nec ipsa est rationalis, nec apta nata obsequi impe-

imperio uoluntatis. Deinde etiam actiones animae uegetantis sunt tantum naturales, et necessariae. Hae autem opponuntur uoluntariis, neque adeo quicquam participant de libertate uoluntatis, contra quam actiones animae sentientis, quae plerumque in ipso progressu libere possunt uel continuari, uel inhiberi. Quapropter nullum in actiones uegetantis potentiae est uoluntati imperium. Idque potest probari eundo per facultatum singularum animae uegetantis actiones. Ita non est in nostra potestate, et arbitrio, ut bene, uel male nutriamur, aut, assumpto alimento, vires, uitamque instauremus. Quin potius, si alimenta sunt boni, et conuenientis succi, si in quantitate debita assumuntur, et congruo tempore, si organa, nutritioni apta, bene sese habent, tunc bene alitur corpus: sin secus illa sese habent, uelis, nolis, male nutritio succedit. Pariter non pendet a nostro consilio, ut magis augescamus, ut statuerae nostrae addamus cubitum, utut maxime ob id sumus solliciti, quoniam id omne ab ipsa natura penderet. Sequitur enim uis augmentatrix non motum, imperiumque uoluntatis, sed uasorum, atque organorum constitutionem, et dispositionem, naturaeque inclinationem. Non denique nostri est arbitrii beneficio seminis simile nobis in specie progenerare. Haec enim actio se non patitur ad imperium uoluntatis inflecti, et dirigi: quin potius ductum inclinationis suae, et conditionem naturae sequitur. Multi generare uolunt, at non possunt: contra multi nolunt, et tamen generant: utrumque contra uoluntatis imperium. In has proinde actiones omnes uoluntas nihil potest quoad progressum, et quatenus semel sunt susceptae. Ceterum hoc solummodo intelligendum est per se, et directe. Namque et in ipsis fa-

G

culta-



cultates uegetantis animae uoluntati aliquid
licet in progreſſu : ueruntamen indirecte , per
accidens, artisque beneficio ; non autem per ſe, ac
per naturam. Aſpice facultatem altricem. Si ſtoma-
chus male coquit, potest homo iſtud uitium, aſſumptis
medicamentis, tollere : ceterum concoctionem iſtam
moderari nequit. Cogita facultatem auctricem : pot-
est homo morbos, augmentationi infestos, ope medici-
curare, aut leuare. Vide facultatem procreatricem.
Haud raro debilem generandi potentiam per medica-
menta quispia adiuuare, ac promouere potest: non
tamen uim genitricem ad lubitum rationis disponere.
Haec igitur, ope medici, omnia tantummodo per acci-
dens flunt. Ceterum quia eiusmodi actiones natura-
les, ſi ortum illarum ſpectes , ad libidinem uoluntatis
uel uelſuſcipiuntur, uel omituntur; item hoc, uel alio tem-
pore; hoc, alio modo; porro, quoad iſpum progreſſum,
uoluntate hominis iuuari poſſunt, ac promoueri: hinc
ſimil morales euadunt. Vnde et actiones eaedem in
homine uellaudem, uel uituperium, atque alia moralita-
tis effecta, promerentur. Merito enim uoluntati tri-
buuntur, quoniam eas initio dirigit, modumque definit,
nec minus, quando, et ubi elici a potentia uegetante de-
beant, aut omitti, praecipit. Quare non quidem actio iſpa
naturalis in ſe moralitatis capax eſt; ſed tamen, certis fe-
pta circumſtantiiſ, utpote temporis, loci, modi, quantita-
tis, qualitatibus: idque ſub initium. Ita in meo eſt arbitrio,
uel imne cibo, ac potu uti, an non. In mea itidem eſt pore-
ſtate, uel imne uti in maiore, an minore quantitate; hoc,
an illo tempore, et loco; congruo, an incongruo. In
mea porro eſt manu, malimne uti cibis hiſ, an illis; falu-
ribus,

bribus, an insalubribus, atque non naturalibus, noxiis-
que. Tandem liberum mihi, num uelim illis actioni-
bus, si quidem fuerint uitiae, in progressu adhibere
medicinam, an non. Propter haec igitur omnia sive
laudem, seu uituperium, mereris. Similiter nemo qui-
dem laudatur, quod nutriatnr per nutritionem, sed,
quod nutriatur per alimenta debita, et ad uires refici-
endas facientia: uel etiam, quod concoctionem debi-
lem, aut uitiosam, adhibitis medicamentis, curet. Am-
plius, nemo laudatur, quod per facultatem generandi
generet, sed, quod in matrimonio casto generet. Ad
eundem modum uituperabitur nemo, quod nutriatur;
sed, quod per cibum, potumue nimium, aut per natu-
ram a nobis alienum, ueletiam, quod uim nutricem de-
bilem, aut corruptam, nullis pharmaciis iuuare uelit.
Pariter nemo culpabitur simpliciter propter generan-
di actum; sed, quod uaga utatur libidine, et extra coniu-
gium generet. Sicut enim priora omnia ab ipsa natura
dependent; ita posteriora omnia a consilio nostro, uo-
luntate, arbitrio. Est aliquod uoluntati imperium in ani-
mam uegetatiuam quoad actionis initium. Homo e-
nimir libere se nutrit, libere etiam suspicienda proli na-
uat operam: neque secius libere actiones eas intermit-
tit. Quantum autem ad actionum huiusmodi progres-
sum attinet, uoluntas nihil potest, sed prorsus exulat.
Omnia quippe tunc fiunt necessario uel bene, uel male.
Interim indirecte, ut dictum est, etiam hic uoluntas ali-
quid ualet. Potest enim, admotis remedis, facultates
iuuare, et uitium tollere. Inde etiam, quamuis per acci-
dens, tales actiones uel laudabiles fiunt, uel uituperabi-
les. Vidimus uoluntatem mouentem: nunc uideamus

motam. Mouetur autem uoluntas primum a Deo. Deus enim cum causa secunda, et particulari, cumque libero arbitrio, influat in actum. Estque ad actionem quamlibet eliciendam necessarius uterque concursus, nempe causae primae, et causae secundae. Illius, quia ab ea pender causa secunda in esse, et operari: huius, quia per hanc illius influxus generalis, et indifferens, determinatur ad hunc, uel illum effectum producendum. Immo illi duo concursus sunt adeo connexi, ut sint una eademque; actio, qua effectus producitur, quaeque; quatunque est a Deo, uniuersaliter influente, dicitur influxus generalis; ut uero a causa secunda, ita, uel aliter agente, dicitur concursus, seu influxus causae particularis. Ergo actio libera tota dependet cum a uoluntate, tum a concursu Dei, ita, ut concursus ille non sit influxus, quo Deus primo per se moueat uoluntatem ad operandum, sed quo cum ipsa uoluntate concurrat ad actum liberum eliciendum. Est autem concursus iste non causa sufficiens ad actum libere eliciendum absque; libero concursu uoluntatis. Immo, quod hic potius, quam ille actus, circa hoc, aut illud, elicitur, id a solo concursu liberi arbitrii prouenit. Et licet, posito concursu generali circa talem actum, necessario ponatur talis actus, cum supra dictus concursus ab actu minime distinguitur: non tamen definit actus ille liber esse, eo quod prouenit a causa secunda libera, nempe a uoluntate. Ex quibus uidere est, generalem concursum nullam afferre humanis acribus necessitatem, cum uoluntas semper aequa indifferens, et libera, circa actus suos maneat. Deinde uoluntas mouetur ab intellectu, seu a ratione. Id uero iam supra euictum, ubi de intellectu monente exposuimus. Cognito enim, quod intellectus

ctus uoluntatem moueat, cognitum eadem est opera,
uoluntatem moueri ab intellectu. Mouet scilicet intellectus, ostendendo siue bonitatem, siue malitiam obiecti.
Hoc intellectus uoluntati monstrat, ac proponit.
Vnde et haec motio saepissime ipsis obiecto assignari solet: idque, si est appetibile, mouere appetitum dicitur.
Ceterum non potest facultas libera in actum exerci, nisi praecesserit rationis iudicium aliquod. Terro mouetur uoluntas a se ipsa. Voluntas mouetur a Deo, tanquam a causa remota: ab intellectu, tanquam a principio approbante, et dirigente: a se ipsa, tanquam a principio, uolitionem necessitante. Motio ceteroquin uoluntatis, qua haec mouetur a se ipsa, alio nomine dicitur determinatio. Est uero determinatio uoluntatis restrictio, et limitatio eiusdem, qua uoluntas limitata, eiusque libertati limes, et terminus positus esse concipitur: est proxima ad agendum, uel non agendum, motio. Etsi itaque uoluntas non a se sola mouetur, tamen a se sola determinatur. Non ergo determinatur a Deo, non etiam a iudicio intellectus practici, non etiam ab alio quoque principio; sed a se ipsa, et quidem sola. Non a Deo, quia ille sic tolleret liberum uoluntaris humanae arbitrium; item causa esset peccati: item iniquus, quippe puniens eos, qui agant iuxta uoluntatis diuinae ductum, et motionem irreflexibilem. Quod blasphemum dictu. Neque a iudicio intellectus practici, quia intellectui consilium competit, non imperium. Secus tolleretur electio uoluntatis, quae est inter duos diuersae specie actus, aut ad minimum inter duos actus contradictorios. Reclamat deinde experientia, quae testatur, saepe ultimum intellectus practici iudicium a uoluntate negligi.

Etsi enim intellectus iudicat, hoc aut illud, esse eligendum, potest tamen uoluntas actum eligendi contra iudicium suspendere; immo potest non eligere: quin etiam potest contrarium eligere. *Video meliora*: tu coniicito cetera. Accedit denique sententiae contrariae absurditas. Si enim uoluntas ab intellectu determinaretur, primo ea pruaretur omni libertate; secundo omne peccatum contra conscientiam tolleretur, propterea quia, qui peccat contra conscientiam, peccat contra ultimum rationis practicae dictamen; tertio alioquin sequetur, uoluntatem non posse eligere minus bonum, relieto maiori, quod tamen faepissime accidit; quarto uoluntas ex duobus bonis aequalibus neutrū posset eligere, cum intellectus iudicet, utrumque ex aequo eligendum esse. Ergo uoluntas determinatur a se ipsa. Ea enim liberae potestatis natura est, ut se ipsam immediate moueat, et ad agendum determinet. Sunt tamen praeterea, praeter Deum, intellectum, et ipsam uoluntatem, causae nonnullae aliae, quae uoluntatem mouent: quanquam non necessario, quasi uoluntas sine illa motione agere nequeat, sed tantummodo continenter, ac per accidens. Hoc modo angelus dicitur inclinare uoluntatem, et quidem manifestando aliqua bona siue Dei, siue creaturae. Propterea igitur inclinat uoluntatem uel ad amorem Dei, uel ad amorem creaturae: ceterum haud aliter, quam per modum suadentis. Idem censendum de daemone, quatenus uoluntatem inclinat ad bonum falso, atque apparenſ. Idem de homine, qui hominis uoluntatem inclinare potest cum ad uerum, tum ad apparenſ bonum. Id quod sit extrinsecus persuadendo, rationesque propendo,

nendo, quibus obiectum reddatur appetibile. Haec ta-
men omnis motio est latior, et impropria, et inclinatio
potius, quam motio. Reliquae autem motiones erant
propriae, stricteque acceptae, a quibus actio utique
in esse, et operari dependet, idque siue proxime, siue re-
mote; ac siue quibus actio edi prorsus et omnino ne-
quit. Sunt uero etiam, praeter angelos, daemonas, ho-
minesq; aliae plures causae accidentales, ut confuetu-
do, affectus, temperamentum corporis, innata, et pe-
culiaris dispositio ingenii, coeli genius, spiritus singulis
regionibus proprius, aetas, genius temporum, proprie-
tates occultae nonnullarum gentium, accidentia diuer-
sorum morum, ut: formae bonitas, diuitiae, nobilitas,
potentia ciuilis, et id genus alia, quae omnia uolunta-
tem ad certum genus actionis inclinare ualent. Quor-
um uideantur Physiognomones, praeterea que: Ari-
stoteles L. I, et II Rhetor. Barclaius in Icone animo-
rum, ut et Satyrico; Plato II, de Legib. Claramon-
tius de conjectandis cuiusque moribus, et latitantibus
affectibus; L. I, Christoph. Beccmannus, in Lineis Do-
ctrinae Morum; Bosius, Introductione in Notitiam Re-
rum publicarum; aliis.

PARA-

mV

PARADOXON

VII.

**ACTVS ELICITOS ESSE
IMPERATOS.**

Voluntas est causa actuum omnium, non modo elicitorum, uerum etiam imperatorum. Homo enim actionum suarum est dominus, utrae- cunque illae fuerint, elicita, an imperatae. Actus quidem eliciti sunt, qui per se, et immediatae, a uoluntate efficiuntur, et in ea quoque, ceu actus ipsius uitales, rursus recipiuntur, inque eadem manent. Imperati vero sunt, qui mediate a uoluntate, immediata autem ab alia quapiam potentia, a qua etiam recipiuntur, fiunt. Vtrorumque causa est uoluntas, licet diuersa. Est enim priorum causa proxima, et immediata: posteriorum autem causa remotior, ac mediata. Hinc utrique dicuntur uoluntarii. Ut enim imperati non immediate a uoluntate proficiscantur, proueniunt tamen a potentias, uoluntati subiectis, a quibus, iussu, imperio uoluntatis, eduntur. Iam, quod quis per alium facit, per se fecisse putandus est. Atque inde uocantur imperati. Eliciti ita salutantur propter ea, quia uoluntas eos ex se ipsa elicit, nulla interueniente potentia alia: sed imperati ideo, quia, uelut iam- dum ostendimus, imperio, nutuque uoluntatis, fiunt, atque eduntur; siue, quia non sunt in uoluntate, sed in potentia alia, neque ab illa, sed ab hac eliciuntur.

Vtri-



Vtrique ergo actus sunt, et dicuntur uoluntarii, quamuis in hoc discrepent, quod eliciti ab ipsa uoluntate elicantur, imperati autem ab alia facultate, idque iuxta imperium uoluntatis. Deinde actus eliciti sunt semper appetentes, aut auersantes: imperati autem possunt etiam esse cognoscentes. Denique illi semper sunt interni, et occulti: hi autem saepius externi sunt, sensibus obuii. Licet uero eliciti actus, et imperati, sint diuersarum potentiarum, tamen, quia actus potentiae ministrae fiunt uirtute potentiae superioris, eiusdemque imperantis, utriusque, cum eliciti, tum uero etiam imperati, sunt, rectissimeque dicuntur uoluntarii. De elicitis nullum est dubium, quin sint uoluntarii: de imperatis exemplum damus. Incedere est a potentia locomotrice: quia tamen facultas isthaec in potestate uoluntatis est, ab eaque ad hunc actum, operationemque excitatur, ideo actus iste dicitur uoluntarius, id est, actus a uoluntate excitatus. Libet descendere in genera actionum uoluntatis, priusquam causae ipsius caput conficiamus. Elicitus uoluntatis actus generatim est duplex: Approbatius, seu prosecutionis; et reprobatus, seu auersationis. Ille est, secundum quem uoluntas, tanquam appetitus rationalis, prosequitur id, quod bonum est: hic, quo uoluntas malum reprobat, ac auersatur. Alii ita statuunt: elicitem uoluntatis actionem, generatim spectatam, esse duplarem: unam circa bonum ut sic, eandemque generali nomine Volitionem dici posse; alteram circa malum ut sic, eandemque Nolitionem uerbo generali appellari posse. Tum pergunt: elicitem uoluntatis actionem circa bonum aut esse circa finem

mediorum, aut circa ipsa media. Actionem elicitam
circa finem esse triplicem: Volitionem, Fruitionem, In-
tentionem. Circa media totuplicem: Electionem Con-
sensum, Vsum. Existentia actionum priorum pro-
batur ex triplici modo, quo uoluntas fertur in finem,
iuxta triplicem finis considerationem. Velenim uo-
luntas fertur in finem absolute spectatum, quatenus
est aliquid in se bonum; uel fertur in finem, quatenus
est aliquid bonum, illudque ultimum, in quo deside-
rium eius conquiescit, licet illud bonum actu non possi-
deat; uel fertur denique in finem, quatenus certis qui-
busdam mediis est acquirendus. Cum primum accidit,
actio uoluntatis circa finem dicitur Volitio: cum alte-
rum, Fruitione: cum tertium, Intentio. Volitio est actus
amoris, quo uoluntas directe fertur in finem absolute
spectatum, id est, siue ille sit praesens, siue absens. Fru-
itione aliis definitur possessio rei olim desideratae, seu finis
adepti, et praesentis: aliis quietudo quaedam, et dele-
ctatio uoluntatis in fine uolito, tanquam in aliquo ul-
timo, siue finem illum actu possideat, seu non. Intentio
aliis discribitur per quamlibet tendentiam uoluntatis in
finem: aliis per desiderium efficax finem obtinendi,
quo uoluntas efficaciter in finem fertur, eumque conse-
qui nititur; aut per tendentiam uoluntatis in finem,
quatenus ad ipsum per aliqua media perueniri potest.
Atque omnino quaedam est inter actiones commemo-
ratas differentia. Nam Volitio sine Fruitione esse pot-
est: at Fruitione non sine Volitione finis apprehensi. Por-
ro Fruitione est tantummodo finis ultimi: at Volitio, et In-
tentio, uersantur etiam circa fines intermedios. Am-
plius: Volitio est solummodo boni, et quidem finis,
non

non autem mediorum , eo quod, licet media possint esse uolita, quia tamen ipsa, quatenus media, non propter se-
se, sed propter aliud sunt uolita, non tam ipsa, quam ipso-
rum finis censetur esse uolitus : atque ideo uoluntas, seu
Volitio, dicitur esse solius finis , non autem mediorum,
perinde ut ipsa Intentio . Ceterum finis postremo
habetur, sed primo intenditur, dum propter ipsum ce-
tera habentur. Iam existentia actionum elicitarum cir-
ca media colligitur ex triplici illo modo, quo uoluntas
se habet circa media. Primum enim, si plura occur-
runt, unum praefert alteri, diciturque id Electio . Deinde
medium, siue unicum sit, siue ceteris antepositum, et
melius iudicatum, approbat. Denique medium, quod
aptum iudicat, ad finem assequendum applicat. Illinc
Electio, istinc consensus, hinc Vsus resultat. Quocirca
Electio est nihil aliud, quam unius medii prae altero ap-
petitio. Electionem autem praecedit Consilium, seu
deliberatio intellectus. Res ita habet, Deliberatio praee-
cedit iudicium rationis: iudicium rationis de rebus a-
gendi sequitur Electio. Ac necessarium est consilium,
seu inquisitio mediorum , ante iudicium de eligendis.
Inquisitio habet rationem antecedentis, iudicium au-
tem rationem consequentis. Vtrumque sequitur de-
mum Electio. Nihil eligitur, nisi praeconsultatum, et
deliberatum. Quid ergo Consilium ? Consilium est in-
quisitio rerum a nobis factibilium, in ordine ad finem.
Non potest esse ~~negligere~~, seu electio mediorum, sine
consilio, sine deliberatione. Quare in hunc modum E-
lectio describitur ab Aristotele: *Voluntarium quid pre-
consultatum*, III. Ethic. C. II, i. e. actio uoluntatis, quam
praecedit consilium, seu deliberatio. Eadem Philosopho,

C. seq. dicitur *appetitio deliberata, seu deliberatione nata, eorum, quae sunt in nostra potestate.* Breuius definimus *deliberatam acceptationem unius p[re] altero.* Ex quibus intelligere est, Electionem dependere a praecedente rationis deliberatione, et quidem circa medium, illudque non absolute spectatum, sed quatenus alteri est p[re]ferendum. Sed est tamen nihilominus libera haec uoluntatis actio. Consilium quidem, seu deliberatio, semper praecedit, attamen Electio non semper eam sequitur. Ut plurimum sequitur antecedentis deliberationis iudicium, ad unum aliquid eligibile determinatum: non tamen illud necessario sequitur. Poteſt etiam illud uoluntas non acceptare. Sequitur Consensus, seu applicatio motus appetitiū ad id, quod ex consilio iudicatum, et ex iudicio electum est. Praesupponit semper consilium, non autem semper electionem. Hanc enim tantummodo praesupponit in eligibilibus, i. e. cum plura fese offerunt media, quorum unum alteri p[re]ferendum. Nam, sicubi unum tantum adest medium, tunc non est locus Electioni, sed consilium immediate excipit Consensus, i. e. simplex approbatio, et complacentia medii, quo appetitus determinatur ad aliiquid agendum. Sine Consensu ergo nunquam est liber usus medium, sed tamen potest esse sine p[re]via electione. V[er]sus denique est applicatio alicuius rei ad operationem, seu, est executio mediorum Electorum, et approbatorum, eorundemque in actum traductio. V[er]sus ceteroquin a Consensu, et Electione, sic differt, ut utrumque illorum ipse consequatur. Vidimus actus elicitos: de actibus imperatis breuissime adhuc dispi- cien-

ciendum, eo quidem breuius, quo prolixius de iis, in
praecedente Paradoxo iamdum expositum. Scien-
dum autem, actus imperatos esse uel actus intellectus,
uel potentiarum inferiorum. Ipsi intellectui
uoluntas actiones imperat, nimirum intellectiuas.
Intellectus non potest se mouere ad intelligendum,
nisi motusa uoluntate. Cogitur utique ad intelligen-
dum, uel non intelligendum; ad actum aliquem ex-
ercendum, uel non exercendum; ad unum post aliud
cognoscendum; ad bonum, uel malum, uoluntati
ostensem, melius expendendum, et rationes
potiundi illius, huiusque euitandi, excogitandas.
Actus imperati potentiarum inferiorum sunt actus
partim potentiae sensitiuae, partim uegetatiuae. Ac
quotuplices facultates utriusque potentiae, totuplices
uicissim actus ab his potentiis proficiscentes. Hor-
sum itaque pertinent actus sensuum internorum, et
externorum; actus a perturbationibus animi proue-
nientes, e.g. amare, indignari, commiserari; actus,
et operationes membrorum externorum, ut loqui,
ire, scribere, et si qui sunt praeterea alii. Quibus o-
mnibus actibus, cum elicitis, tum imperatis, nunc tan-
dem, pro ratione instituti, excussis, ac euolutis, operaे
utique pretium fuerit reuerti ad propositum, ac de eo
esse sollicitum, utrum actus elicit possint dici imperati.
Sciendum igitur primo, quod actus intellectus sint im-
perati. Actus autem intellectus sunt eliciti. Eliciuntur
enim ab intellectu, in eaque facultate recipiuntur, et
manent, nec iussu intellectus ab alia potestate fiunt, et e-
liciuntur. Ergo actus intellectus sunt imperati. De-
inde, quod actus potentiarum inferiorum sint et eliciti,
et imperati, Eliciti, respectu ipsarum potentiarum,

a quibus, tanquam causis proximis, eliciuntur, in quibusque recipiuntur, ac manent: imperati, respectu ipsius uoluntatis, a qua potentiss, dominio uoluntatis subjectis, imperantur. Terrio, quod actus ipsius uoluntatis sunt cum eliciti, tum quoq; imperati. Licet enim actus, qui dicuntur imperati, dicantur esse alius potentiae, quam uoluntatis, adeoq; non possint esse eliciti: tamen et ipsi actus eliciti uoluntatis possunt esse nihilominus imperati, quatenus unum, idemque, non modo aliis, uerum etiam sibi ipsi imperare potest. Illud ipsum autem est ipsam uoluntas. Ea enim liberae potestatis natura est, ut se ipsam immediate moueat, et ad agendum applicet.

PARADOXON

VIII.

ACTVM VITIOSVM ESSE PEIORITY HABITV.

IDque absolute, ac simpliciter. In rebus moralibus bonitas, et malitia, ex fine in primis aestimari solet. Actus autem est finis ille, propter quem est habitus. Hinc fit, ut malitia habitus dependeat a malitia actus. Ac profecto habitus dicitur ideo uitiosus, quia inclinat ad actum uitiosum. Iam uero, propter quod unumquodque est tale, illud magis est tale. Quare, cum habitus sit uitiosus propter actum uitiosum, ad quem refertur, certe ipse actus erit per se, atque absolute deterior habitu. Deinde habitus non tam est uoluntarius, quam actus, atque adeo

adeo non habitus, sed actus, proprio meretur, uel non
meretur, et consequenter uel praemio, uel poena affi-
citur. Ceterum illud libenter largiendum, habitum ui-
tiosum secundum quid esse peiorem actu, tum, quia e-
iusmodi habitus potestate plures actus malos continet,
ad quos inclinat: tum, quia difficultius deponitur habi-
tus uitiosus, quam actus: tum, quia plures actus, per
quos comparatus fuerit, presupponit.

PARADOXON

IX.

VIRTUTEM NON CONSISTERE IN MEDIO.

DE sententia plerorumque ratio voluntatis po-
sita est in mediocritate, probaturque id ex
eo, quia omnis uirtus sit inter duos uitiosos habi-
tus: quorum quidem unus excedat, alter deficiat,
uti, e. g. fortitudo sit media inter audaciam, et timi-
ditatem. Deinde ex eo, quia omne uirtutis obie-
ctum sit semper aliquid medium inter excessum, et
defectum, cuiusmodi obiectum est, e. g. alimentum,
quod est obiectum temperantiae. Illud obiectum deberet
esse mediocre, h.e. tale, ut nec nimium sit, nec parcus,
quam ratio postuleret. Vnde duplex dicitur voluntatis
medium; alterum secundum essentiam, quod est inter
duo uitia, seu uitiosos habitus: alterum secundum obie-
ctum, quod est inter obiecti excessum, et defectum. At-
enim in neutro medio consistit uirtus. Medium secun-
dum obiectum rursus ponitur geminum. Aliud enim
dici.

dicitur mediū rei, aliud personae. Illud est, quod aequaliter distat a suis extremis; seu, secundum quod aliquid a suis extremis aequē distat, nullo habito personae respectu; seu, quo quid simpliciter medium est inter plus, et minus, seu, defectum, et excessum. Ita panis duarum libellarum medius est inter panem unius libellae, et panem trium libellarum. Medium personae est, quod uni extermorum similitudine quadam propinquius, ab altero autem remotius est. E. g. panis unius libellaē dicitur medium quid, habita ratione eius, qui nec maiore, nec pauciore cibo indiget. Medium rei dicitur Aristoteli medium Arithmeticum, eo quod in illo proportio Arithmetica locum habeat: medium autem personae eidem appellatur medium Geometricum, propterea quod proportio Geometrica in eo uigeat. Aliis medium proportionis, item medium προportionis, quoad nos, i. e. eiusmodi, quod respectu uniuscuiusque nostrum neque excedit, nec deficit. Denique medium rationis, tum, quia a recta ratione, h. e. sapienti, seu prudenti ratione, assignatur, et ab eadem, pro circumstantiarum ratione, mutatur, i. e. augetur, uel minuitur: tum, quia positum est in quadam ratione, seu analogia, et proportione rei ad personam, quam dignoscere solius est prudentis. Hoc enim medium reperitur ope prudentiae. Haec non modo dictat, quae sint licita, uerum etiam, quid fieri debeat, et quantum, et quo loco, et quo tempore, et quibus. Requiritur cognitio omnium circumstantiarum, quae moralitatem maximopere mutant. Inter utrumque medium est discriminē hoc, quod medium rei sit semper aequale, et idem apud omnes: medium autem rationis, seu personae, sit illud, quod

quod pro uaria personarum, et circumstantiarum con-
ditione , subinde mutatur. E. g. si eleemosynas in-
ter plures pauperes aequali modo, et mensura distri-
buam, erit medium rei : sin pauperiori plus , minus
autem minus egeno, erit medium rationis. Vtrinq; ser-
uabitur mediocritas, sed diuersi generis. Nunc quae-
ras: utrum horū mediorum uirtus sequi debeat. Medium
non rei, sed rationis. Si enim sequitur medium rei, sae-
pe est uitium. Non enim habetur circumstantiarum
ratio, quae tamen moralitatem , uti dictum , uariant.
Medium rei esset, si pauperi porrigerem eleemosynam.
Hic possum et in excessu, et in defectu peccare. Sun-
to numalus, et mille aurei. Inter haec quidnam erit me-
dium rei ? Pone , esse aureos quingentos. Possunt
et hi plus iusto , et minus esse. Medium contra rationis
esset, si considerarem meas tiures , et pauperis indi-
gentiam. Hoc esset medium respectu mei, et proximi-
mi. Demus exemplum aliud. Portio panis, quae Ti-
tii temperamento conuenit, dicitur medium quid re-
spectu Titii : at uero, quia non omnibus eadem est tem-
peramenti, et caloris ad concoquendum uis ; hinc sae-
pe fit, ut, quod respectu unius medium habetur, respe-
ctu alterius excedat, aut deficiat. Sunto personae mul-
tae, diuersae aetatis, temperamenti, laboris, ualeutudinis:
eae uno tempore alantur : iisdem eadem cibi, potus-
que mensura distribuatur. Hic deficiet , ibi excedet
modus : non erit uirtus, sed uitium. Seruabitur qui-
dem medium rei : at nulla habebitur ratio *περισσόσην*.
Contra ea, si uni plus , alteri minus , pro re nata , diui-
datur , erit medium rationis : erit uirtus. Ergo te-
nendum medium rationis, i. e. quod iuxta rectam ra-
tionem, seu ex iudicio uiri prudentis, praescribitur, at-

que respondet naturae subiecti , rebusque ^{alia} . Am-
plius hoc ipsum euincimus . Omne bonum , quod
regitur , et mensuratur , consistit , et situm est in adae-
quatione ad suam regulam , ut illam non excedat , nec
ab ea deficiat . Atqui obiectum uirtutis est bonum ,
quod a recta ratione dirigitur , proindeque situm est in
adaequatione ad mensuram rectae rationis . Quae ad-
æquatio cum sit qualitas , seu commensuratio quae-
dam inter excessum , et defectum , nihil aliud est , quam
mediocritas . Est tamen , ubi medium rei locum possi-
det : quod quidem tunc accidit , ubi circumstantiae
sunt eadem . Ut si inter plures eiusdem aeratis , tem-
peramenti , conditionis , eleemosynas , panes , numos ,
munera , distribuas . Quanquam eo pacto medium
rei simul euadit medium rationis , cum ratio nonnun-
quam ipsa dictaret , praesentibus iisdem circumstantiis ,
medium rei amplectendum esse . Medium rei cetero-
quin licet saepissime exerceatur , tamen rarissime me-
retur locum . Ex dictis apparet , medium saepe non
esse medium . Medium enim rationis saepissime nihil
minus est , quam medium , quandoquidem plerumq; non
aequaliter ab utroque extremorum distat . Nunc ue-
ro tandem in eo disputatur , num namne uirtus in mo-
do consistere dici possit ? Quod quidem inficiamus:
adeo quidem , ut neque sitam patemus in medio quoad
essentiam , neque in medio secundum obiectum . Por-
ro , neque in medio rei , nec rationis . Forma etenim
uirtutis haud est alia , quam rectitudo moralis , seu uir-
tutis convenientia cum lege , et recta ratione . Haec
est ratio , haec essentiale uirtutis constituens : sed e con-
trario Mediocritas est potissima quaedam uirtutis
affectio , proprietas , et essentiale consequens . Qui vero
conse-

consequens potest esse constituens? Idem sane hoc modo effet id, quod effet, et simul non effet. Quodsi quae ras: cur uirtus sita est inter duos habitus uitiosos? cur est in medio secundum obiectum? ad utrumque responderi debet, quia ita suadet lex, et recta ratio. Ratio sane dictitat, uirtutem positam esse, tanquam rem bonam, ac perfectam, in medio. Perfectum siquidem constat esse illud, cui nihil neque addi, neque demiri possit. Vnum addimus, formam actionis moralis positam esse in respectu ad regulam rectitudinis moralis. Ex quo sane consequitur, et formam habitus moralis, qui totus ex eius generis actionibus conflatus est, non in ulla alia, praeterquam in eodem ad regulam moralis rectitudinis, i. e. legem, rectamque rationem, respectu consistere, ac sigillatim uirtutem in conuenientia cum norma illa; uitium uero in disconuenientia.

PARADOXON

X.

VITIA CONTRA, ET SECUNDVM NATVRAM ESSE.

Breuiter hanc rem expediemus. Natura licet hominis reuera una sit, ratione tamen duplex constituitur: una animalis, seu sensitiva; altera rationalis, seu intellectiva. His fundamenti loco paestructis, sciendum primo, quod uitium sit contra naturam hominis rationalem. Nam secundum hanc naturam homo inclinatur ad bonum rationale, seu honestum. Rationale enim bonum est, quod ratio rectum, naturaeque humanae conueniens iudicat. Est enim recta ratio ni-

hil aliud, quam rectum de rebus iudicium. Bonum est
id, quod Enti est conueniens. Bonum rationale est,
quod naturae hominis rationali est conueniens. Illud
autem bonum est uirtus. Haec homini est naturalis:
insunt enim in homine semina, seu igniculi uirtutis.
Quodsi itaque uirtus est homini naturalis, et secun-
dum naturam, consequitur exinde ultro, quod uitium
sit contra naturam. Namque oppositorum constat op-
posita esse consequentia. Deinde uitium per se inclinat
hominem ad actum uitiosum. Atqui omnis actus ui-
tiosus a recta ratione deflectit. Naturalis autem incli-
natio hominis, ut homo est, est illa, quae fit secundum
rectam rationem. Nihil enim magis competit homini,
ut homo est, quam recta ratio. At uero inclinatio, quae
est secundum rectam rationem, sit semper in bonum
honestum. Illud autem est uirtus; cuius oppositum
est uitium. Cum ergo homo absolute, et simpliciter, in-
clinetur in uirtutem, perspicuum est, uitium, uirtuti op-
positum, esse absolute contra naturam hominis. Est ta-
men uitium et secundum naturam eiusdem hominis. Est
autem secundum naturam hominis sensitiuam: non
quidem, quod homo per naturam hanc inclinetur ad
peccatum formaliter, sed quia per ipsam fertur per se in
bonum sensibile. Id uero ut plurimum repugnat hone-
stati. Licet tamen plerumque honestati repugnet, ta-
men natura sensitiua non fertur in ipsum, qua repugnat
honestati, de qua siue utile, siue delectabile. Evidem
appetitus sentiens, qui est naturae sensitiuae, per se est
obnoxius appetitu rationali; sed tamen nihilominus
saepe eidem repugnat, ac reluctatur. Viribus naturae
integris naturaliter inclinabatur ad obsequendum ra-
tioni: illis autem attritis, et in immensum imminutis,
faepis-

saepissime appetitum superiorem secum diuerte rapit.
Id ergo ex misera conditione naturae corruptae oritur.
Tamen si enim uoluntas, quomodo alias potentias inferiores, ita appetitum sentientem mouet: tamen imperium, uoluntati in eum competens, non est despoticum, ut erat primitus, sed politicum. Id quidem constat uel experientia. Saepe etenim uehementissime in bonum aliquod sensibile fertur appetitus, reclamente iudicio rationis, et praeter uoluntatis inclinationem. Quod clare confirmat Apostolus Rom. VII. *Non, quod uolo, bonum hoc ago, sed, quod odio malum, hoc facio.* Ex quo patet, quod saepe appetitus sensitius moueat uoluntatem, et ad se inclinet. Ingeminamus, quod supra adduximus ex Iac. I, oraculum: *Vnusquisq; tentatur, a concupiscentia abstractus, et illectus.* Vehementior enim appetitus impedit, perturbat, et absorbet usum rationis, eiusque iudicium corrumpit, dum ei deliberandi facultatem adimit. Vnde oriuntur motus uoluntatis indeliberati. Tantum de Paradoxis Moralibus, quibus uidemur capita pleraque omnia huius doctrinae omnium difficultaria complexi. Restat, ut, quibus usi ducibus praecipue fuerimus, ingenuo profiteamur. Fatemur autem, plurimum nos debere, praeter Aristotelem, Philosophorum Principem, Eustachio a Sancto Paulo, in Summa Philosophiae Quadripartita; Danieli Stalio, in Regulis Philosophicis; Sam. Pufendorffo, in de iure Naturae, et Gentium, Libris, et qui primo loco erat nominandus, *Dn.*

*Christiano Roebrenso, Praeceptori nostro, de
nobis immortaliter merito.*

S. D. G.

COROLLARIA.

I.

Actio est Constituens, et Constitutum.

II.

Liberum, ut est potentia, et actus, uulgo confunduntur.

III.

Liberum non est Liberum.

IV.

Voluntas tam malum, quam bonum apetit.

V.

Voluntas cogi potest, et non potest.

VI.

Necessarium est Liberum.

VII.

Non omnis actio interna est elicita, nec omnis imperata externa.

VIII.

Omnis actus sunt eliciti.

IX.

Medium non est Medium.

X.

Medium Rei est Medium Rationis.



NOBILISSIMO IURIS QVE SCIENTISSIMO

DOMINO

GODOFR. VVVLFERO

NOTARIO PVBL. CAES.

COMMILITONI SVO

S. P. D.

IO. ANDREAS PLANERV

MATHEM. INFER. PROF. PVBL. ET

H. T. ORD. PHILOS. DECANVS

ΠΑΡΑΔΟΣΑ defendis: non ΑΔΟΞΑ. Cuius generis est illud: Literas esse nihil, et cultores humanitatis ignoros esse rerum omnium, atque ad triuia, ac $\alpha\lambda\alpha\pi\tau-$ η α , scholasticas (liceat iisdem, quib⁹ ora solent impurissima, uti uerbis) damnandos. At longe senior tibi mens est, VIR Humanissime, qui, cum neminem sine literis, a quibus ipsummet literatis nomen haeret, uere eruditum dici posse, tum non alios, praeter quā illos, qui literas nesciant, aut nō nisi obiter tractarint, easdem odio posse prosequi, iampridem calleas, rectissimeque statuas. His de causisrides rude, ac ineptum leguleiorum, rabularumque uulgus, et literarum elegantiam iamdiu excolis, earumque fretus praefidio nobilissimam iusti et iniusti scientiam quaeris, gnauiterque conjectare, utpo-

ut pote quam noris et ab literarum humanitate deriuari, et cum ea coniunctam, summis, maximisque ICtorum Nominibus : *Antonio Augustino, Alciato, Connano, Cuiacio, Gotfredis, Hottomanno, Pitheus, Vefenbecio*, nomen immortale, aeternumque peperisse. Quod quin et ipse aliquando, FAVTOR Honoratissime, sis adepturus, tanto minus dubitandum est, quanto diligentius ad disciplinam Iuris te praeparasti, quantoque magis, praeter dicendi, scribendique elegantiam, nec reliqua studia praetermissisti, quae futuro ICto maximo et adiumento, et ornamento esse possint. Inprimis Philosophiam eam, quae ad uitiae, morumque informat cultum, ac unde, tanquam ab unico fonte, quicquid est humani iuris, difflit, ac dimanat. Quam te Philosophiam non primoribus, quod aiunt, labris, aut, tanquam canis Nilum, degustasse, sed largiore haustu, penitusque imbibisse, conatus iste tuus euincit, quo proletaria minime, sed difficillima, perinde ac praeftantissima doctrinae morum capita enucleanda, pariter ac strenue tuenda censuisti. Quem animum, erectum ad summa, ac enitentem, merito collaudo, itemque dignum egregie conatorum, assidueque, ac incredibilis industriae tuae, cuius, praeter plurimos alios, ego in primis quotidianus sum testis, et spectator, fructum, mercedemque oppido magnam, et insignem, non precor magis, quam auguror, nec tano, quod spero, et opto, omne videor praesagire. Dab. Vitembergae Sax. Kalendis Quintilib, c. 1000.



5i 2149

ULB Halle
002 410 087


3



56.

V218

VOMA



B.I.G.

Black



Q. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE, AC

DOMINO,

DN. FRIDERICO AVGVSTO,
PRINCIPE REGIO, ELECT. SAX. HEREDE,
ETC. ETC. ETC.

PARADOXA MORALIA,

PRAESIDE
M. IO. ANDREA PLANERO,
ORD. PHIL. ADI. ET H. T. DECANO,
PVBLICE DEFENDET

GODOFREDVS VVVLFERVS,
PLAVIENSIS VARISCVS,
PHILOS. STVD.

IV KALENDAS IVLIAS,
ANNO CIO 10CCII,
EODEMQUE ALTERO ACADEMIAE IVBILAEO.

VITEMBERGAE,
FORMIS IO. MICH. GODERITSCHII.